


PALAESTRA LATINA



Wilhelm Segeler
Valencia 10. Mai 1976

ANN XXV (Fasc. I) - N. 149
M MARTIO · A. MCMLV
www.culturaclasica.com

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii

BARCINONE edendi

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

INDEX

J. MIR, DE NOVA «PALAESTRAE LATINAE» EDENDAE RATIONE	1
H. GUALTIERI, DISPUTATIO AMBULATORIA	3
A. PACITTI, OMNIA VINCIT AMOR	8
P. SANSEGUNDO, DE PROVIDENTIA DEORUM	17
I. GONZALEZ, NOVA ET VETERA: Radiophonium	23
M. MOLINA, CURSUS GYMNASPICUS: «Vides ut alta stet nive candidum»	27
AE. ORTH, DE CHOERILLO POETA	33
A. LUCESOLE, ALAUDA ET NOCTUA: Carmen	38
HOLZER-MIR, AVENARIUS-MIR, EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM: Nova proponit vocabula Latina ad nostras voces: esquí, esquiar, juego de bolos, zinc, coñac, kirsk, anís, curasao, aguardiente, licores, «tafia», «sorbet», sidra, golf, hockey, tenis	39
J. GARCIA, PER ORBEM: acta quae ad optimas litteras spectant	46
» COLLECTANEA	49
PALAESTRA ADULESCENTIUM:	
PALAESTRICUS, In arenam descenditel...	51
SIDNEY-CAMA; HAFNER-CODINA, Litterae mutuo dantur inter alumnos	52
COMAS, MAESTRO, Puerorum scripta	53
M. MOLINA, Qui te non noverit, emat!... facetissima pro pueris fabella	54
CORIOLANUS: Ejus praecipua acta scitis picturis describuntur	56
CURIOSA ET JOCOSA: Sales-aenigmata	58
SOCIIS ET ALUMNIS RESPONSA DANTUR	59
BIBLIOGRAPHIA: BRASERO, SIDERA, ALBA, GONZÁLEZ, MOLINA	60

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN XXV (FASC. I) — N. 149

M. MARTIO

A. MCMLV

DE NOVA «PALAESTRAE LATINAE» EDENDAE RATIONE

Viri humanitate exculsi majorum nomen, memoriam, aetatem laudibus celebrare solent, factaque memorabilia in monumento aut lapide insculpi volunt quae perpetuo in posteros permaneant. Diesque natalis hominum, gentium, institutorum magni quoque habetur, qui, si in multos protrahatur annos, maximo est honore colendus.

PALAESTRA nostra LATINA —ut ceterae hominum res— aetatis quoque vicissitudines pertulit, ac primum velut quidam infantulus vagire visa est cum anno MCMXXVIII in lucem prodit et «Candidatum Latinum» nomen habuit, omniumque et magistrorum et alumnorum adeo animos sibi conciliavit ut, elapso biennio, «candidatam» mutaverit vestem, ac primam aetatem, auctore et moderatore Patre Emmanuele Joveo, peritissimo sermonis Latini magistro, tenaci proposito, constanti opera est ingressa.

Deinde vero, mortifero confossa est vulnere una cum moderatore —extincto in lugubri illa calamitate et communistarum bello—, sed rursus P. Josephi Jiménez C. M. F. opera, litterarum Latinarum nunc Salmanticensis Professoris, renasci visa est.

Sed res et hominum instituta sua habent fata. «Progrediamur!»; «ad altiora!»: instant ferventi juvenia strenui et impigri adolescentes: «Progrediamur!»...

Et progredi coacta est PALAESTRA LATINA eo ineunte anno, qui ejus natalis quintus et vicesimus est:

Hunc vero faustum prosperumque eventum quo perpetuo animis fixus maneat non alia ratione celebrandum constituimus quam hos Commentarios, omnium coactis viribus, in amplio redigendo formam.

Omnes igitur cultissimos et humanissimos viros, qui in orbe terrarum honore et studio litteras Latinas prosequeuntur, ad hanc *palaestram*, in qua multis variisque exercentur ludis et exercitiis, convocamus, utque in eam descendere velint, cohortamur.

Vos igitur, nobilissimi viri, qui oculos in has PALAESTRAE LATINAE paginas convertitis, quae fuerit nova edendae PALAESTRAE ratio, facile mente percipietis; in ea enim commentationes et lucubrationes pleniore doctrina refertas et peritorum disputationes de novis inducendis vocabulis in Latinum sermonem et pro alumnis sales, lepores, facetias idque genus alia ampliore ac venustiore forma edita videbitis.

Quae omnia si vobis probentur, scriptores, qui tanto novoque operi adjutricem manum, sedulam operam admoverunt, studiose legite multumque ex eorum scriptis fructum et oblectationem percipite. ⁽¹⁾

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

MODERATOR

Barbastri, Kalendis Januariis, anno MCMLV.

(1) Clarissimis viris Quinto Tosatti, «Instituti Romani studii promovendi» Praesidi et Guérino Pacitti, ejusdem Instituti ab actis, maximam habemus gratiam quod nobilissimorum scriptorum, qui ad «Certamen Capitolinum» convenerant, opuscula ad nos benignissime miserunt quae in PALAESTRA LATINA hoc vertente anno evulgentur. Viri autem qui scripta sua edendi facultatem dederunt, sunt:

AMADEUS PACITTI, «Omnia vincit amor»,
 HYACINTHUS GUALTIERI, «Disputatio ambulatoria»,
 GOODWINUS B. BEACH, «Disputatio»,
 PAULINUS MENNA, «Num Latinus sermo grammaticorum legibus ac praeceptis sit comparandus»,
 ALBERTUS ALBERTINI, «Colonia civica Augusta Brixia»,
 GASPAR ADRAGNA, «De Romae atque Athenarum insignibus rebus».

His ceterisque clemis. viris, qui libellos edendos miserunt, debitam referimus gratiam.

DISPUTATIO AMBULATORIA

ANTIQUAM EXQUIRITE MATREM

Opusculum in *Certamine Capitolino V*, Romae mense
aprili anno MCMLIV habito, magna laude ornatum

Hodie, a. d. XI Kalendas Majas, Urbis dies natalis tota Italia celebratur. Fere nulli adparatus, exsultant tamen corda et suavissimi sensus lacrimis laetitiaque commixti animos pervadunt. Nullus est homo cujus menti non occurrat vetus illa Roma ejusque togati cives, imperatores, milites legionarii, monumenta quorum adhuc exstant reliquiae. Arcana quadam vi compulsi, ex praecordiis effluunt nobilissimi illi versus quibus tertiae Italiae vates deam Romam salutat, juvatque patriae, divae, sanctae genetricis sparsa vestigia venerari.

Mihi forte apud Forum Romanum sub vesperum deambulanti ecce res circum mutare videntur speciem et figuram. Homines et mulieres quos verni temporis tepor, eo acceptior quo diutius graviusque incubuit hiems, e tectis foras ambulatum extraxit, ecce ante oculos versantur illi togis amicti, hae prisco ritu indutae stolis.

Velut si in remotas aetates animus demigraverit, Latina omnia fiunt, latine sensim mecum ipse loquor.

Graviter interea sonant aera vesperum nuntiantia.

Improvisus manus ictus in umerum me excussit ad veras res sensus revocans.

•Quid agis, jucundissime? Nisi graviora te detinent, neque una mecum frui ambulatiuncula recusas, gratum mihi erit parumper tecum nugari.

Haec dicens se obtulit mihi quidam familiarissimus. Nisi arta vitae consuetudo nos mutuo amore devinxisset, more Bolani illius quem Horatius lepide commemorat, eum dimissem qui importune dissolvisset gratissimas animo imagines.

At ille subridens: «Velim —inquit— mihi dicas quae nuperrime mentem tuam defixam tenuerint. Tua enim vestigia jamdudum sequor, haud parvam delectationem capiens dum te attonitum deambulantem aspicio non secus ac qui, ut dici solet, somniat vigilans».

Cum aperuissem quae tum animus insequeretur, se continere non potuit quin risum effunderet; dein: «Quae sentio! Vehementer peccas de prae-

sentibus certisque in vana ac remota mentem devertens; ego vero minime istis deliciis oblector, quibus longe longeque antepono hominum recentiorum condita et reperta. Effer igitur, si placet, prisca et mentis oculis contemplare; ego quae adsunt laudo, cetera contemno. Plus quam satis accepi de rebus literisque Romanis adulescens cum in schola adsidebam: quae etsi nondum oblivione obruta, tamen velut umbrae quas Vergilius in inferis facit vagantes, omnino carent vita ideoque nullam mei animi partem allicere possunt. Nec est cur id mireris, siquidem omnia ad homines pertinentia adsiduo mutantur impulsu. Illud contra miror quod hac nostra aetate nonnulli sunt quorum mens ita rebus antiquis inhaereat ut latine scribant. Nuper enim hodie radiophonice audiui Salernitanum quemdam primum tulisse praemium in *Certamine Capitolino* quod dicitur, magnificoque adparatu celebratum esse in Capitolio. Inania, mehercule, haec omnia, vel potius doctis mediae, quae vocatur, aetatis accommodata».

Cui ego: «Immo hodie quoque amplissima! Nec modicam censeo laudem esse illum adeptum quem ingenium et virtus dignum tanta laude effecerint. Sed quoniam in tanta re tecum dissentire videor, velim id in primis paucis disputemus».

Sol ad occasum leniter vergens Fori reliquias subrutila luce collustrabat, quae sublimes se extollebant velut mutila et ingentis magnitudinis bracchia tempora caelumque in certamen provocantia.

«Nonne eos delirare censes — his enim verbis ille exorsus est sale et bile respersis — qui hominum coetum fastidientes in insulam se abstrudant desertam et remotam? Item insani habendi sunt qui linguam Latinam patrio sermoni anteponunt. Nequiquam praeclari scriptores Italicum sermonem politissime excoluerunt, si tamen adhuc sunt qui, nulla necessitate coacti, in lingua perseverent obsoleta; nec non stultissimi, magistri illi et antistites qui istorum fovent stultitiam, publico certamine quotannis proponendo. Hi omnes risum excitant non aliter atque miles qui ad pugnam se expedit gerens hastam et scutum, vel etiam typographus qui, charta typisque contemptis, papyraceas plagulas spongiamque sumat

Ceterum, ne forte putes me unum talem sequi opinionem, Romana ipsa Curia decrevit ut, in sacro baptisate administrando, sacerdos sponsorque domestica lingua utantur. Praeterea non te fugit cum ab iis qui nostrae reipublicae praesunt disceptaretur de ratione studiorum legibus novis emendanda, nonnullos magistros summa auctoritate praeditos negavisse quidquam prodesse exercitationem illam ex italico in Latinum vertendi qua, ut censeo, discipuli vexantur».

Multa talia, tamquam stamina ex colo, protulisset, nisi interpellavissem: «Ecquid praestigiis verborum delectaris? Non enim ista probe dixisse videris,

immo captiose. Qua re, age porro, necesse esse putas qui latine scribant patrium aspernentur sermonem? Parum accurate etiam reliqua argumentatus es. Namque, ut praetermittam in baptismatis ritu pauca admodum verba oportere italice reddi, id Curia non decrevit quod linguam Latinam ad nostri saeculi consuetudinem minus aptam censeret, sed ut sponsorem exsolverent difficili molestoque officio verba repetendi quorum vim persaepe, ut constat, parum arripit. Ex quo tantum abest ut ullum capiat lingua Latina detrimentum, ut etiam, paene dixerim, majore floreat dignitate.

Quod ad consuetudinem pertinet scholarum, nihil prorsus commune habent discipulorum pensa cum «Certamine Capitolino»: nam ad ea discipuli a magistris adiguntur, huic interesse litterarum studiosi statuunt nulla quidem vi coacti sed tantum suam indolem secuti; ea fortasse damnanda ut insulsa plerumque et mendosa, ab hoc prudenter se abstinebunt qui sentiant sibi nec naturam adesse nec doctrinam.

Tum ille: «Concedo haec ita esse, nego tamen ullam esse aut naturam aut doctrinam quae linguam ab usu remotam possit ad vitam revocare; numquid, quaeso, potest vitalem spiritum mortuo corpori infundere?».

Atque ego: «Pergis discernenda miscere, vel potius contrarium tibi evenit atque ebriis: quod enim unum est ebrii duplicant, tu quod duplex unum vides. Nulla mihi disceptatione opus erit ut probem fieri omnino non posse ut lingua Latina cotidiani sermonis vice fungatur, cum lippis et tonsoribus notum sit, ut consuetudines, instituta, mores hominum, ita linguam quoque mutari ut ea suppeditet quae postulent tempora nova. Itaque haud scio an recte quidam adfirment unam et sinceram adhuc linguam Latinam exstare. eam quam cotidie usurpemus et vulgarem appellemus.

Quam vana insequerentur somnia doctissimi illi viri saeculi XV, qui romanitatem restaurare conabantur Latina lingua vulgarem detrudendo, satis probavit «Certamen Coronarium» quod Leo Baptista Alberti proponendum curavit.

Mihi tamen suasum est, praesertim cum quodam instinctu ad adhibendam linguam Latinam nos trahi sentiamus quo et artius complectamur et impensius exprimamus quod urget in nobis, necesse esse tum vetusta illa verba recipiant, ut dicam, sucum et sanguinem praebeantque animis nescio quem saporem inusitatum et exquisitum.

Liceat mihi Federici Mistralii exemplum afferre quod nonnihil fidei huic sententiae addere videtur. Constat illum huc intendisse animum ut prisca Narbonensis lingua a desuetudine vindicata revivisceret et vulgo a scriptoribus usurpata in morem saeculi reverteretur. Quamquam id non est assecutus — ut enim omnes res nostrae ita lingua et sermo nequeunt aevum remeare peractum — tamen egregium opus confecit quod «Mirejo» inscribitur, ea ipsa lingua usus.

Rursus ille: «Atqui ad meam sententiam accedere videtur Lucilius poëta qui Scaevolam inducit Albucium illudentem quod iste mallet graece salutari. Jure profecto Cicero qui hunc refert locum sat mirari nequit «unde hoc sit tam insolens rerum domesticarum fastidium»; in hoc saltem mecum consenties».

«Immo potius —inquam ego— cum Lucilio et Cicerone. Attamen nihil pertinet iudicium eorum ad id quod nobis proposuimus sed ad insaniam eorum qui inepte exterarum gentium consuetudines imitantur. Etenim non raro accidit ut hodie quoque apud nos quispiam, eodem morbo affectus quo Albucius, ridicule verba ex Gallico translata identidem jactitet, quasi gemmae sint aut margaritae. Ut iste galliturit, Albucius graecabatur».

At ille: «Concedo —inquit— parum opportune auctoritatem tantorum virorum me postulavisse; tamen negare non possumus qui mentis et animi domicilium, ut ita dicam, in antiquorum sedes transtulerit is, ut surdus, necesse esse nullas prorsus nostri saeculi voces percipiat.

Satis est enim in mentem revocare vitam et mores «humanistarum» praeteritae aetatis: quamquam profecto aevum suum litteris illustraverunt, tamen in otia tuta recesserunt imbellem segnemque vitam ducentes. Pro pudor! Cum exercitus hostium per Italiam concursarent, cum rerum publicarum principes adsiduis bellis se ipsos lacerarent, cum demum ubique caedes et tumultus, securi in bibliothecis sedebant veterum scriptorum chi-rographa perscrutantes. Codices scilicet armis praeposuerunt, bibliothecas castris et cum ad Ciceronem, Horatium, Livium intenderent, Carolum VIII neglexerunt. Respice, sis recentiores Latinitatis auctores: quamvis miram dicendi facultatem assecuti sint, tamen parum aut etiam nihil provexerunt humanae vitae cultum.

Cum flosculos Latinitatis nimia diligentia excerpserint, bene se meruisse scilicet de suis civibus putant, si Ciceronem aut Senecam aemulati sint. Quanto validiores et suco pleniore hi nostri scriptores, ut Albertus Moravia, Dominicus Rea et alii plurimi etiam alienigenae quorum paginae vere hominem sapiunt!

Neque lenocinia neque saltem ornamenta in suis scriptis putide ostentant, immo sunt simplices, horridi interdum et rudes, et tantum ab illis differunt quantum athletae a simulacris quae in armariis vitreis tabernarum, novissimo more induta, hominum, mulierum, puerorum exhibent speciem: in athleticis enim nervi et muscoli, in illis quamvis forma et figura venustis, lignum et stупpa».

Sic urgendo, in tantum discrimen me adduxerat ut ferreis vinculis mihi viderer esse devinctus.

Sed quoniam veritas se comprimi non patitur suisque ipsa viribus jugum excutit, animum redintegravi, deinde: «Oportet, inquam, nunc quoque discernas ne iniquus judicaris una cum sontibus insontes condemnans. Ut

praeteritis temporibus. ita nostris inveniuntur qui omne punctum se tulisse arbitrentur, si scriptorum Latinorum, Ciceronis in primis, scribendi artificium ad amussim aequiparaverint. Aures legentium oblectant, animos non nutriunt, et ut pedisequi, servum pecus augent eorum quos Erasmus satirice verberavit. Ne te taedeat, quaeso, quae addam audire parumper. Omnes generis hujus non dissimiles sunt rhetorum illorum qui verba prisca et pura consecrati sunt, ut Fronto temporibus antiquis, recentioribus Basilius Puoti fecisse memorantur. Nec temere utriusque attuli exemplum. Cum enim in eundem incidissent errorem, mera inania assecuti sunt; sed cum alter tum floruerit cum adhuc vigerent Latinae litterae, alter sermone patrio usus sit, censere debemus non linguae attribuendam esse culpam, sed scriptori; non instrumento sed fabro.

«Certamini Capitolino» qui praesunt nec in animo habent, cantoribus Ciceronis invitatis, quanta cuique sit imitandi facultas experiri; nec eos laudibus exornant qui hinc illinc de politissimo quoque Latinitatis auctore excerpta callidi colligaverint ac, ut dicam, conglutinauerint, sed eos praemio dignantur qui non mediocre humanitatis specimen praestiterint; eos qui linguam Latinam apte flectentes et novo quodam habitu vestientes, nostros animos cum sententiis tum verbis et arte alliciant, nutriant, permoveant. Dummodo haec adsint, nihil mirari debes quod latine scripta digna existimentur quae nostrae aetatis monumentis inserantur, siquidem Joannis Pascoli Latina carmina, non minus quam «Myricae» quae inscribuntur ad Italicas litteras pertinent quibus etiam conferunt decus et vires.

Quae cum ita sint, vide quam inepte quidam irrideant cultores Latini sermonis quasi sint custodes sepulcrorum, quod nova oderint, praeterita tueantur. Immo aptius cum arbore quercus comparabuntur, quae eo uberius oneratur fructibus quo altius radices sunt infixae. Ne plura, inest illud nescio quid praeclarum ac singulare in lingua Latina quod nullam patitur senectutem, quod simul antiquum simul novum est, quod nulla foedatum robigine splendore nitet sempiterno.

Antaeus in certamine illo vires reficiebat quotiens terram tangebatur quae eum genuerat; ita et litterarum studiosi qui salubri latice foveri cupiant antiquam exquirant matrem.

Haec dum loquimur rursus ad Forum pervenimus. Colles, domus, rudera luna collustrabat mirabile spectaculum praebens.

Attoniti tacitique consistimus. Juvabat nos intentis cordibus excipere quae mutae columnae fremebant, argentea luce circumfusae.

HYACINTHUS GUALTIERI

OMNIA VINCIT AMOR...

QUOD MIRABILE EST DELECTABILE EST

(Arist. Rh. 3)

Opusculum In Certamine Capitolino V, Romae mense
aprili anno MCMLIV habito, magna laude ornatum

AD LECTORES

Si quis dixerit: «Pisces dimitte et potius enarra non refellenda nobis», me in somnia confugere potuisse respondeam et res commenticias futilesque fingere mente.

At rem veram miramque sum narraturus: xiphias novissima aestate mortem sibi consciviti... Ridetisne? Cur? Ex actis quae qui diurnarii appellantur conficiunt, non didici rem! Sic habetote, adfuisse me ipsum!

Cum igitur die quodam novissimae aestatis apud Palmos, in Bruttiorum litore aestivarem... at, quaeso, volvite paginas et oblectabimini.

Aestate novissima apud Palmos in Bruttiorum vico aestivabam, qui nomen a nigro lapide ducit ⁽¹⁾. Cum die quodam, uti sueram, excepto capite, in fervida diu latuissem harena, ut mollitiam articularum recuperarem, elapsus e fossula meis ducta manibus, in qua haud parum adipati ventris nec non corporis atrorum umorum una cum multo sudore manaram, litoris oram lente legebam, qua perpetuo alluitur aestu, cum subito magnam feminarum hominumque aspexi frequentiam. Itaque, ut par est, gradum addidi eosque sum assecutus. Sed, alios capitibus aliis supereminere conantibus, tam arte stipabantur, nescioquid in medio aspicere aventes, ut nihil videre neque intelligere possem. Tum cubitis iter mihi aperiendum erat! At quemadmodum? Tamen illud Horati reminiscens, prope constitui et memetipsum consolaturus: «Nihil aliud - inquiebam - in maritimis oris nisi pisces exanimatos hiantesque conspiciere possum! Numquid aliud nisi murices algas conchylia agitatione fluctuum ejecta? Certe alatos non credo asellos a me conspici posse neque puellas in harena cubantes verecunde vestitas palmamve subito natam! ⁽²⁾ Alia porro non sperem me posse videre quam quae in mari gignantur atque versentur!».

(1) Id est «Pietranera di Palmi».

(2) Cf. T. Livi A. U. C., 43, 13, 5-5.

Interea multa cogitabam mentemque torquebam, cum quidam eorum, re stomachatus, secedens clare voce exclamavit: «In malam crucem eatis! Quid multa? De duobus agitur xiphiis! Ecquis non novit xiphias longo mucrone tumescere? At saltem hic de ovo myrrhino ageretur, e quo ajunt semel quingentesimo anno viam sibi rostro aperire suevisse, ut novam vitae rationem compleret, illam Arabicam avem!» (1)

Ad me dein advolavit exsultans mihique arrisit, quod, uti sum opinatus, curiosior non fueram ad investigandum, et, manibus post cervicem junctis, ne delibutus capillus harena sordesceret, haud procul toto corpore jacuit.

Vix illa turba discesserat, cum, pedetemptim progressus, rem potui videre novam atque admirabilem: bini patebant amplissimo corpore xiphiae, quorum alter cruentatus immobilisque jacebat, alter autem, quamquam in corpore nulla pugnae vestigia ostendebat, jam jam obiturus erat...

Tum ego non submissem tamen ut non audirer: «Quomodonam - inquam - litus est iste assecutus? Certe fidem mihi nunc nemo faciat retibus tantum capi posse non tridentibus nec cardine xiphias!».

Hic ille juvenis calamistrata coma ridens jocansque: «Divina vi quadam impulsus - inquit - piscis huc e mari evolavit, quem integrum ante oculos habes...».

Nihil vero ei obicere volui, nec potui servavique silentium, dum cultris arreptis, inertia xiphiarum corpora piscatores in frustra secarent atque inclusa sirpiculis ad mercatum mitterent, ne aëre aestuante corrumperentur.

Cum igitur omnia essent peracta, ad piscatorem conversus, qui natu maximus erat: «Quomodo - inquam - piscatus iste successerit, quaeso, nobis enarra; quaecumque enim ad mare pertinent me valde tangunt atque delectant».

Tum ille, ut se ex labore reficeret, in rudentum strue cum assedisset, manibus multo sole perustis genua complexus: «Multos jam annos - inquit - navicula mea haec aequora verro ut liberis, mihi, uxorulae vestes victumque comparem. Quam multa vidi tulique quotque pericula effugi! Quotiens in ultimo discrimine vitae, orta procella, die repente nimbis adempto, Divam Dei Genetricem in alto invocavi, quae nos tueretur! Et, Illa favente, en adsum et vigeo remisque adhuc aequora verro et multos posthac per annos spero me verrere posse».

Dein parumper cum conticuisset, ut se cruce signaret: «Singula nostra, - inquit - sunt digesta per annum et peraguntur suo tempore omnia: nunc enim nec ullo periculo in alto sardinas reti piscamur, nunc causa thynnorum Siciliae paene litora attingimus, quo multi quidem conveniunt, nunc denique

(1) Cf. Plin. N. H., 10, 2, 2 et Tac. Ann., 6, 28

haud procul hinc quanta cum anxietate xiphiarum expectamus adventum! Nam quotannis, superato Siculo freto, haec aequora tempore certo celebrare sueverunt. Tum hamos, hastilia, tridentes cardinesque paramus, itemque complicatos in sentina rudentes tortosque deponimus, ne, cum sit tempus pugnae marinae, re ulla in alto egeamus. Nobis enim cum iis est pugnandum acerbe, ubi, cymbis de more conjunctis, mare claudimus nec eos jam effugere sinimus».

Tum piscatoria instrumenta adhuc sanguine aspersa nobis manu monstravit. Dein remissione voce: «Quid hodie profecerimus - inquit - quique fuerint operae fructus jam novistis; numquam noster labor irritus est, nec sine mercede. At xiphiarum quomodo alter oram sit assecutus a me discite: nullo cardine enim fiximus eum, nec repugnantem ex alto deduximus... Rem dico veram atque exploratam. Quaerite, sultis, ex adolescentulis istis, qui mecum una reique pars magna fuerunt».

Parumper tacuit, deinde, rem altius et a capite repetens: «Hoc mane - inquit - ex pacto complura navigia convenerant. Antea scrutati unde aliquis flatus ostenderetur, vela pandimus, summam deinde mali partem speculatorem ascendere eumque in ligneo carchesio consistere iussimus, ut omnia circum late explorarentur. Dumque silentes per mare prolabimur, cymbae crepidini innixus, modo oculis oram sensim circumactam curvatamque perlustro, modo prospicio Apenninos procul evanescentes, modo denique malum in caelo sereno nutantem suspicio, num xiphiarum agmina clamaretur adesse et pugnae signum daretur. At nihil! Undique maxima quies inhumanumque silentium! Undarum interim mobilitate valde oblectabar earumque altitudinem ac molem subjectam mente metiri tentabam: «En - inqueiebam - stin sane nandi imperitus et repente mea cymba dehiscat! Quantone temporis spatio cum corpore in infimo pelagi solo deponar?». Et respondebam: «Longiore profecto quam credibile est!». Idemque mecum ipse dicebam: «Nonne corpora retinet aqua atque efficit ne praecipitentur? Quid? Ipse impedit aër quo libere minus procedant ea quae deorsum ferantur quaeque humi vehantur...». Itaque in spiras convolvi lenteque ad imum delabi mihi ipse videbar... Primo quidem inhorruui; (naturali enim instinctu, cum urinamur, arcanas undique insidias mente fingimus valdeque veremur ne nobis incumbat omne periculum), sed mox tristitiam abegi et... oh mirum! in regione somniorum versari sum visus! Tum quasi pinnis suspensus, nullo tamen nec metallico neque suillo tegmine opertus⁽¹⁾, aquarum in omnem infinitatem peregrinabar, quocumque impellebat me videndi voluptas. Et jam e latibulis suis pis-

(1) Vegetius in opere cui «De re militari» index est, de quodam instrumento scribit, quo veteres usi urinabantur. Plinius autem (N. H. 11, 2, 106) *urinatores* appellat eos qui, oleum in os cum sumpsissent, in fundo innantes aquam ad videndum reddebant pellucidam. Aristoteles quoque de *lebeie*, id est de aheni instrumento quo sub undis innari poterat, scribit. In fabulis est Alexandrum regem quattuor dies etiam totidemque noctes esse urinatum, ut mirram maris naturam contempleretur.

cium excutere exercitus, eosque per alta silentia adigere sine mora videbar, cum... sibilo ad res, ad lucem speculator me revocavit.

Tum xiphiae caudam aegre conspexeram, cum subito undis exhausta est. Mox iterum toto corpore ex aequore micuit: decem fere pedes longus microne addito erat. Jam alto sole pinnae in dorso splendebant. Parumper dein, uti metallum igne solutum, pependit in aëre et in aquam cum recidisset, nihil nisi anulum crepitantis spumae reliquit. Dein, altero sibilo audito, consurgimus omnes: tum undas late effervescere vidimus et albescere passim: magnus xiphiarum grex patuit oculis nostris: bini, modico spatio interjecto, labebantur ad nos. Proras cito deflectimus atque, in orbem naviculis de more dispositis, unum ex iis, qui praeibant, undique claudimus nec jam effugere sinimus. Una tum nos mens agitabat: tridentibus transfigere beluam! Cauda falcata violenter aequora miscet et conatur effugere, donec fixa ei est in pectore cuspis, quam tamen omnibus viribus evellere studet atque infremens ore magis magisque convolvitur. At, deficientibus cum sanguine viribus, ru-dente demum se trahi posse permittit.

Sed ab ora non longe aberamus, cum sanguineum naviculae sulcum alterum xiphiam sequi prospicimus. In praesenti rem non curamus, sed, cum naviculam xiphiamque subduxissemus, res nova et vix credibilis nostras mentes oculosque percellit: ex undis exsiluit ille et volans in harena toto corpore jacuit juxta quem tridente arripueramus! Sociae peremptae dolore mortem sibi dedisse eum dicere ausim! Nonne cum bini innatarent jugali vinculo quodam conjuncti esse videbantur?*

Hic tacuit piscator.

Cum autem paulisper silentium fuisset, juvenis unguentis flagrans: «Jam vero res quam incredibilis - inquit - quam absurda, quod fidem conjugii mutuumque xiphiarum amorem in tua, senex, oratione perstrinxeris quodque vos omnes vix teneamini quin lacrimetis! Perquam levem tenuemque rem!»

Hic interpellandi locus erat et eum ad contentionem provocaturus: «Hebetaverint - inquam ego - et nostros efferaverint animos bella recentia, ferreos durosque reddiderint, ita ut siccis oculis non modo *monstra natantia* et *mare turbidum et infames scopulos, Acroceraunia*, sed pejora consuerint aspicere, tamen, jam composito bello, ad bonam frugem homines se cum receperint, nonne lenitatis indicium est considerandum quod una cum beluis dolore afficiamur? Quid? Vel isti, quos vides, qui in durissima arte versantur, sensu doloris mihi non carere videntur. Haec - bona tua pace dixerum - me tangunt, commovent, turbant».

Quae cum dicerem, eum vidi ridentem. Quod aegre ferens: «Cum cogito - inquam - quam mire natura rerum se gerat in creandis rebus ac disponendis, facere non possum quin valde stupeam et cum hominibus esse animalium

bus quiddam commune concedam, de patris matrisque dico in filios amore, de filiorum in patrem matremque, de amantium in amantes benevolentia».

Vix loqui desieram, cum ille: «Num, dic, animalibus sensum amoris esse defendis, quem ego in hominibus tantum cognovi?» Hic ego non sine contentione: «Quid est —inquam— inexplicabile illud, quo gallinarum matrices, cum viginti dies uno tenore foverint ova, cumque rostris putamina pulli pupugerint indeque exierint, acerrime natos contra quemque defendunt? Quis nostrum gallinam incubantem semel non vidit sibi irascentem? Omni laude, mea quidem sententia, cumulandus est pelecanus, ⁽¹⁾ avis Aegyptia, quem ajunt amore pullorum sibi femur rostro vulnerare suevisse, ut sanguinem ad eos alendos eliciat. ⁽²⁾ Curnam lucium ⁽³⁾ semine ova irrorantem femina uno devorat haustu? ⁽⁴⁾ Nempe, ne Saturni sequatur exemplum! Nonne Homerus de avicula cecinit, quae, ne quid mali haberent neve fame pulli conficerentur, nihil sibi pepercit seque passa est inedia consumi, dummodo iis quo viverent suppeditaret? Quo nomine ergo res illa est appellanda, qua canis leaena tigris aquila felis impelluntur ad tuendos catulos suos? Multa alia exempla animalium cujusque generis proferre possum, quae, cum filios defendere debeant, ex timidis audacissima fiunt! Et iis, ut opinor, aliquid insitum est, quod, utcumque appellare volumus, de hac parte saltem hominum ea simillima reddit».

Tum ille: «An non de instinctu materno —inquit— sentis te facere verba? Adde quod, cum animalia pepererint, magis possessionis quam alia de causa catulos pro virili parte tuentur, haud aliter atque infantes, qui crepundia vel crustula sua neminem sibi eripere ferunt. Quantam vim lacrimarum effundunt, si quid rerum, quas habent, quibusque delectantur, adimitur iis! Et... at infirmis unguibus sunt! Id prorsus ratione privavit Achillem et tamquam pusillum contra Agamemnona impulit. Nec tertia quoque de causa negarim id suevisse facere beluas, sui sui que generis causa servandi. Tota vita nostra nihil aliud mihi esse videtur quam pugna perpetua, qua nosmet ipsos nostrumque genus servare conamur».

Quae quidem, quam per officium fieri potuit, diligentissime audivi et: «Non solum —inquam— de instinctu materno vel possessione vel conservatione nunc agitur, o dulcissime rerum, sed quartum quoddam esse debet, quo sine animalium acta haud semper intellectu facillima sunt. Nempe de canum fide dicere volo, de delphinorum deque murenarum illa in homines benevolentia. Nonne de murena illa legisti, quae, cum obiisset, plurimum maeroris fletusque attulit Hortensio oratori? ⁽⁵⁾ Quid de delphinis dicam,

(1) Italice *pellicano*.

(2) S. Hieronymus, in *Psalm.* 101.

(3) Italice *luccio*.

(4) Haec ex ephemeride sumpsit, cui *Epoca* index est; a. IV, 168.

(5) Plin. *N. H.* 9, 55, 81.

qui musica delectantur quadamque hominum familiaritate semper sunt usi? Me legentem commovit et commovebit ille delphinus, qui pueri ardenti amore deperiens cum eo colludebat, suo dorso in Puteolano mari gestabat ad litusque fideliter referebat. Sed, cum morbo affectus diem suum puer obiisset, cumque delphinus, uti suerat, adnatavisset ad oram nec usquam eum invenisset, desiderio tabuit atque dolore exanimatus est. Quem cum in litore jacentem, qui rem cognoverant, invenissent, miseriti, in pueri sepulchro sepeliverunt. ⁽¹⁾ Quid? Nonne delphinus Methymnaeum vatem de navi in mare desilientem dorso recepit atque servavit? ⁽²⁾

Cum ego conticuissem: «Sane res ita se habuerint —inquit ille— et venerii fuerint amasiique delphines, quicquam aliud praeter auditum odoratum visum gustatum beluis nobiscum negarim esse commune. Annon animalia quaedam vocalibus praedita chordis aequae ac nos esse defendunt rerum naturae inquisitores? Cur non loquuntur autem? Eas patet loqui non posse, quod iis nulla cogitatio nec ulla mens est».

Tum ego: «Quamquam quid est cur id fieri posse negemus? Quid sibi volunt cum baubantur latrantque canes? Quid mugiunt autem boves? Quid balant *oves humana nos voce appellantes*? ⁽³⁾ Quid fremunt leones crocitantque ranae? Fortasse dixeris ad id rerum naturam iis quoque tribuisse voces, non ut animi motus, quo sunt destituti, sed famem, sitim et ea quae necessaria ad vivendum essent quodammodo exprimerent. Quae cum ita sint, quomodo bestiarum vel cicurum vel ferarum benevolentiae significationes interpretemur earumque tacitum et cotidianum cum hominibus paene colloquium ac mansuetudinem explicemus illam in eos, quibus in laboribus atque vigiliis auxiliantur, quibuscumque intra domesticos parietes vitam degunt? Nonne interdum in eorum deliciis sunt in oculisque feruntur? Numquamne de Androclo servo audisti, qui cum iniquis et cotidianis fere verberibus fugere coactus in camporum et harenarum solitudines in Africa concessisset, et in specu quodam delitesceret, stirpem ingentem vestigio pedis leoni gemitus edenti evellit saniemque e vulnere intimo expressit magnoque dolore eum liberavit? Cum autem a militibus captus Romam deductus esset, rei capitalis accusatus atque damnatus una cum ceteris servis ad beluas in circo destinatus est. Tum, mirabile auditu! et beneficii et medicinae gratiam illi agnito rettulit e leonibus unus; qui cum ad eum accessisset, nedum morsibus laceraret ac devoraret, manus ejus leniter demulcere coepit eumque ab impetu ceterarum bestiarum tuitus est! Re tam mirabili maximos inter clamores poena dimitti solvique populus cunctus jussit». ⁽⁴⁾

(1) Gell. Noct. Att. 7, 8.

(2) Cf. Ov. Fast. 2, 80 et Gell. Noct. Att. 16, 19.

(3) Plaut. Bacch. 5, 2, 22.

(4) Gell. Noct. Att. 5, 14 et Sen. De Ben; 2, 19.

Tum: «Natura quidem - inquit ille - veluti tenebris densissimis involuta difficillima est ad cognoscendum. Nonne mira quaedam interdum peregre feruntur ad nos? Gemini capitibus juncti nuper pueri nati sunt, qui dein medicorum opera sunt separati ut suam quisque vitam viveret!⁽¹⁾ Quid? Quam mirus est quinque puellarum ortus ille, quem in foederatis Americae civitatibus fuisse abhinc viginti fere annos nobis nuntiatum est. Et omnes, quamquam tempore eodem in alvo materna conceptae atque altae, omnibus tamen ex partibus perfectae genitae sunt et vivunt⁽²⁾. Quod, nisi fallor, alias quoque evenit⁽³⁾. Nuper bos nata est duobus praedita capitibus, nec tamen vixit... Longum est enumerare prodigia quae veteres se vidisse dixerunt: ad sidera, ad terram terrarumque motus, ad novas e mari emergentes insulas spectant. Lucas noctu improvisae, bolides, qui Graece dicuntur, tonitrua, cometae, fulmina, Tiberis eluviones, lactis, lapidum, sanguinis, pluviae prodigiorum loco habita sunt. Et arbores sua habuisse prodigia hominum stultitia credidit! Silvarum ipsa domorumque incendia, deorum simulacra collapsa atque sudantia, frumenti omniumque rerum edulium inopia ostenta habita sunt! Quid de hermaphroditis androgynisve dicam? Quid de tauris de mulis atque mulabus? Quid de subus, de vespis deque locustis?⁽⁴⁾ Quid demum de piscibus? Sane de piscibus quaedam ad nos relata sunt: Augusto, antequam in Sicilia contra Pompejum dimicaret, in litore ambulanti piscis quidam e mari ad pedes exsiluit idque sub Caesaris pedes eos futuros esse, qui tempore illo maria tenerent, significavit!⁽⁵⁾ Nec novi quomodo risum teneatis, amici, de illo audientes Apollinis pisce loquente, qui Myris, in Lycia, oracula ederet prout libenter manducaret aut fastidiret cibum⁽⁶⁾. Num ergo veterum eorumque more qui media, quae dicitur, aetate vixerunt, ea formidare omnia ac procurare debemus, ne vehementius di invehantur in nos? Quid? Natura quoque interdum aberrat a regulis et praescriptionibus suis et mira quaedam fieri patitur, quae, cum admodum raro efficiantur, potius in portenta atque prodigia referenda sunt».

Quae cum laetitia gestiens dixisset, quasi victor jam de me discessisset, parvo temporis spatio interjecto: «Haud facile mihi persuadebitur - inquit - dolore amentem, uti piscator est opinatus, alterum xiphiam sibi mortem dedisse. Quodsi res ita se haberet, jure quaedam voluntas ei tribuenda esset a nobis, tamquam si cum ratione mortem desideravisset. Quare, quandoquidem id nullo modo explicari potest, nec poterit umquam, agite, istum quoque mirabilem quem dicitis interitum in prodigia referte!».

(1) Ephemeridem cf. cui «Life» est index pag. 38 et seqq. July 13, 1953.

(2) De Dyonne sororibus hic intellegi debet.

(3) Gellius (*Noct. Att.* 10, 2) apud Aristotelem se legisse scripsit in Aegypto mulierem uno partu quinque enixam esse pueros Addit ibidem Augusti imperatoris ancillam in agro Laurenti quinque peperisse pueros.

(4) Quod ad prodigia pertinet vide passim Livium, Svetonium, Tacitum.

(5) Plin. *N. H.* 11, 37, 75.

(6) Svet. *Aug.* 87, 2.

Moribus jam oculis ore intellexeram arrogantem eum esse debere, qui nihil stupere nihilque mirari, etiamsi simulacra deorum ipse flentia vidisset, sese dixisset! Nam gliscit in dies eorum hominum genus, qui mente animoque se amplecti omnia opinantur et scepticorum more ac superbe se gerunt: sunt totidem soles, ut ita dicam, qui circum se cuncta circumagi versarique contendunt.

Inde: «Egomet - inquam - cum ratione sint expertia animalia, natura duce quodammodo xiphiam egisse defendere ausim: quid esset sibi eventurum omnino ignorabat, nec noverat certe se mortem esse obiturum e mari exsiliantem. Attamen neminem fugit latentis periculi gnara esse animalia itsque pronum bona sequi et fugere mala. Quae cum ita sint, dic mihi, sodes, cur non aufugit? Atqui pugnae interfuerat; profecto cruorem olfecerat, qui rubro colore tinxerat undas et aquam ore cum sanguine acceperat eamque branchiis mari reddiderat et ipsam, dixerim, mortem hauserat! Hisce de causis naturali quadam maxima vi xiphiam puto ex undis exsiluisse, tamquam si sociam suam assequi vellet, ut eam defenderet in mareque reduceret».

Tum ille aegre ferens: «Quamnam igitur ais - inquit - hanc esse vim atque potentiam?». «Ἐρωτα - inquam ego - quem Graeci ἀπὸ τοῦ ἐρᾶν et majores nostri ab amando elegantissime dixerunt amorem». Hic excipit ille: «Oh delirationem incredibilem!». Ego tum concitate: «Id quamquam in universum neque probari neque refelli potest, non tamen ignoras quam polleat amor ille, de quo dicimus et quo non modo homines, sed etiam animalia impellere queat. Nonne Vergilius ait omnia vincere amorem? ⁽¹⁾ Quid? Nonne ipsa Venus, de Lucreti sententia, in terras, caelo relicto, cum descendisset, in celsis arboribus, in herbis variisque floribus, in liquore rivorum, in lacubus et cavernis opacis, in fontium et maris anfractibus, in aëre et hic inter nos, quin immo intus, in nobis, sibi domum sedemque delegit? Ceterum, ut omittam Platonem, qui Venerem caelestem ad terrestrem adjecit, quidquid senserint de amore poëtae atque scriptores, sive libido magnusque sensuum ardor est considerandus, sive hominibus atque animalibus commune est inexplicabile quiddam, quod efficit ut sese cum maribus feminae jungant, ut sua *saecla propagent*, si vis illa est, cui mundus innixus cohaeret et est sempiternus, si denique, ut fert mea opinio, ipse Deus est, qui gignit et amplectitur omnia eaque ad finem ducit eundem, nonne totam amore pervasam rerum esse naturam Dantes noster vates significare voluit, cum cecinit

amor per quem moventur sol et cetera sidera?

(1) *Eclog.* 10, 69.

Age, pro vi, de qua loquimur, sis, subice amorem et facile invenies hunc piscatorem minime licet in rebus istis intellegat, rem optime jam per se contigisse...».

Quae cum dicerem, cubitis juvenem vidi innitentem, uti de harena se tolleret. At, cum non sine contentione virium surrexisset, imperturbatus: «Utcumque —inquit— sese res habet, id ego novi, id unum mea refert: hodie domi meae vilissime replebitur lanx!». Dein abiit cantillans:

*«Prae xiphia sordent omnes: hic unus opimis
est dapibus regum dignus dapibusque deorum! (1)».*

AMADEUS PACITTI, Prof.

Frusinone, in Italia.

(1) D. Vitrioli, *Xiphias*, sub fin.

DE PROVIDENTIA DEORUM

Providentiam Graeci et Romani coluerunt ut deam, statuasque illi erexerunt. Ejus mentio frequentissima est in nummis Augustorum, in quibus praecipue globus orbem terrarum ipsis deorum providentia permissum fuisse significat (MACROB. *Saturn.* 1, 17). In insula autem Delo, aedes Providentiae, quam *ναὸν Προνοίας Ἀθηναῖς* appellant, apta religione celebratur. Una adhuc ex statu is elegantissima, brachio tantum sinistro mutila superest; lauro coronatur, cincinnatumque habet capillitium; dextra manu baculum tenet, quo nixa esse videtur. Ad dextram ejus ingens cista, fructibus omnis generis onusta, ad sinistram cornu copiae inversum est. In ea autem inscriptum legimus: «Providentia deorum». (Vide, sis, FORCELLINI, sub v. *providentia*, II, 4).

Porro, Providentia, graece *πρόνοια*, multimodis a Latinis nuncupatur: «Providentia deorum, Prudentia deorum, Dei provida virtus, Dei provida mens, Providum numen»; ac defini ri potest: notio futurum pertractans eventum, vel, ut ait Cicero, «per quam futurum aliquod videtur, antequam factum sit» (*De inv.* 2, 53, 160). Et Seneca (*Epist.* 5, extr.): «Multa bona nobis nocent; timoris enim tormentum memoria reducit, providentia anticipat». Rursus Cicero (*De Nat. Deor.* 1, 8, 18): «Nec anum fatidicam, stoicorum *πρόνοιαν*, quam latine licet Providentiam dicere».

Quae quidem notio, ex priscis scriptoribus, in Deo, utpote ab eo humanae res temperantur et reguntur,

«qui res hominum ac deorum
qui mare ac terras, variisque mundum
temperat horis» (HOR. *Od.* 1, 12, 14-16).

praecipue invenitur.

UTRUM DEI PROVIDENTIA SIT NECNE

Attamen fuerunt inter veteres nonnulli, ut Diagoras Milesius, Protagoras Abderites, Theodorus Sophista, et omnium irrisor Lucianus, qui omnem divinitatem et providentiam sustulerunt. Democritus et Epicurus omnia putabant vi naturae evenire, aut fortuito atomorum concursu, ut ex multis Lucretii locis colligimus. Plinius (*Nat. Hist.* 2, 7 (5)) inter Latinos dubitat an sit praeter solem aliud numen. Et ipse Ovidius providentiam in dubium

vocavit, cum haec protulit verba:

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso:

«Sollicitor nullos esse putare deos».

Vive pius; moriere pius; cole sacra; colentem

mors gravis a templis in cava busta trahet (*Am.* 3, 9, 35-38).

Alii —quos quodammodo pius Vergilius his verbis commemorat: «Nec curare deum credis mortalia quemquam» (*Egl.* 8, 35)—, contendunt deos magna curare, parva negligere (*Cic. De Nat. Deor.* 2, 66, 167), nam ex eorum sententia ad Dei majestatem minime pertinere potest, ut ad singula, quae in mundo sunt, attendat.

Tamen, hos si excipias, omnes omniumque temporum gentes, et omnes tum Graeci cum Romani scriptores, esse numen aliquod supremum asserunt rerum omnium providens.

VERUM, DEUS EST

Eleganter, more suo, Cicero: «Inter homines gens nulla est tam fera, quae non sciat Deum esse habendum, etiamsi ignoret qualem habere deceat. Quoniam vero in omni re consensus firma gentium omnium, est vox naturae et argumentum veritatis, confitendum est numen aliquod divinum esse» (*Leg.* 1; 8, 24; *Tusc.* 1. 13, 30; *De Nat. Deor.* 1, 16, 43; Cfr. *SEN. Ep.* 117, 6). Quin etiam, consuetudo disputandi contra deos est mala et impia, sive id sit serio, sive simulate. Itaque cum Protagoras, sophista maximus temporibus suis, posuisset in principio libri cujusdam, se dubitare an dii essent, jussu Atheniensium ex urbe eorum atque agro exterminatus est librique ejus combusti sunt in contione. Ferunt quoque talentum argenti fuisse propositum praemium ei qui illum occidisset. Sic etiam dubitatio de diis non potuit poenam effugere (*Cic. De Nat. Deor.* 1, 23, 63; vide etiam *Ibid.* 1, 12, 29 et 1, 42, 117).

Deum quippe ejusmodi esse, operibus hujus mundi, motu nempe orbium caelestium, structura, ordine, universique pulchritudine agnoscitur. «Quis est tam vecors, inquit Tullius, qui, cum suspexerit in caelum, non sentiat Deum esse? Pulchritudo mundi, ordo rerum caelestium, conversio solis, lunae, siderumque omnium, indicant satis aspectu ipso ea omnia non esse fortuita; et cogunt nos confiteri, naturam esse aliquam praestantem aeternamque, quae sit admiranda humano generi» (*De Harusp. resp.* 9, 19; *Tusc.* 1, 28, 70; *De Nat. Deor.* 1, 36, 100 et 2; 13, 34).

Ceterum hae omnes res corporales et aspectabiles nec a seipsis nec a potestate humana esse possunt. Quemadmodum, si quis venerit in aedes aliquas, aut in gymnasium, videritque ibi distinctionem rerum omnium, ordinem, disciplinam, intelletget aliquem esse profecto, qui praesit, et cui pareatur; sic, si quis intueatur motus perpetuos et certos, vicissitudines, ordines rerum.

caelestium tot tantarumque, necesse est ut fateatur, haec cuncta gubernari a mente aliqua. Cum autem nec mens nec potestas humana possit hoc efficere, Deus unus potest esse architectus et rector tanti operis et muneris (Cic. *De Nat. Deor.* 2, 5, 15 sqq.; 2, 17, 46 et 46, 119).

PROVIDENTIA DEI GENERATIM

At non modo esse deos vel philosophi vel poëtae asseruerunt, verum etiam et «providentia eorum mundum administrari» (Cic. *De Div.* 1, 51, 117); et alibi «deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censemus» (Cic. *De Nat. Deor.* 2, 30, 75; 76-77; 80).

Deus etenim, «justitiae rectique dator», apud illos, est «qui cuncta gubernat» (SIL. ITAL. 6, 467), qui omnia quae terra, vel aëre, vel caelo continentur, regit atque temperat.

Qui terram inertem, qui mare temperat
 ventosum, et urbes regnaque tristia
 divosque mortalesque turmas
 imperio regit unus aequo (HOR. *Od.* 3, 4, 45-48).

Jam vero, Deus providentia sua velut mundi mens est, quod quidem stoicis maxime arridet. Suo consilio haec providet, et in his maxime est occupatus, ut mundus quam aptissime sit ad permanendum ut nulla re egeat, maxime ut in eo eximia pulchritudo sit, atque omnis ornatus (Cic. *De Nat. Deor.* 2, 51, 127; 2, 53, 132; 3, 7, 18). Ipse est «custos rectorque, universi animus ac spiritus, mundani hujus operis dominus et artifex, cui nomen omne convenit. Hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum, cujus consilio huic mundo providetur, ut inconcussus eat, et actus suos explicet; ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus» (SEN. *Nat. Q.* 2, 45). Quid quod Tullius ipse, educens ex lectica caput, et immotam cervicem sicariis Antonii praebens, dixisse fertur: «Causa causarum, miserere mei!».

Ergo Deus tamquam causa et quidem prima communi omnium voce praedicatur, nam «nihil est, quod Deus efficere non possit» (Cic. *De Nat. Deor.* 3, 39, 92). Porro, si Deus omnia novit, fortunam nempe, infortuniumque mortalium, idemque omnia valet, et conservare quempiam in terris poterit. Neque enim absque Deo flumen transiit, ut quidam ajebat, id est, sine ejus voluntate et auxilio (cf. SALVIANUM, *De Gubernat. Dei*, lib. 1, sub init., Ed. Parisiis, 1580, pag. 3). Sicut navigans gubernator numquam manum suam a gubernaculo, sic numquam penitus curam suam Deus tollit a mundo. «Ac sicut ille et auras captans, et saxa vitans, et astra suspiciens, totus sit simul tam corporis quam cordis officio operi suo deditus, ita scilicet Deum ab universitate omnium rerum, nec munus visionis avertere, nec regimen providentiae suae tollere, nec indulgentiam benignissimae pietatis auferre.

Unde etiam illud mysticae auctoritatis exemplum, quo se non minus philosophum Maro probare voluit quam poëtam, dicens «Deum namque ire per omnes Terrasque tractusque maris caelumque profundum». Tullius quoque: «Nihil enim, inquit, praestantius Deo; ab eo igitur mundum regi necesse est. Nulli igitur naturae oboediens aut subjectus est Deus» (SALVIAN. *Ibid.* p. 5 sqq.).

Pulcherrima insuper Apuleji verba audire non pigeat, quae quamquam Isidi tribuuntur, ad Dei tamen providentiam faciunt: «Tu quidem, sancta et humani generis sospitatrix perpetua, semper fovendis mortalibus munifica, dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuis. Nec dies nec quies ulla ac ne momentum quidem tenue tuis transcurrit beneficiis otiosum, quin mari terraque protegas homines et depulsis vitae procellis salutarem porrigas dexteram, qua fatorum etiam inextricabiliter contorta retractas licia, et Fortunae tempestates mitigas et stellarum noxios meatus cohibes. Te superi colunt, observant inferi, tu rotas orbem, lumnas solem, regis mundum, calcas Tartarum. Tibi respondent sidera, redeunt tempora, gaudent numina, serviunt elementa. Tuo nutu spirant flamina, nutriunt nubila, germinant semina, crescunt germina. Tuam majestatem perhorrescunt aves caelo meantes, ferae montibus errantes, serpentes solo latentes, beluae ponto natantes» (*Metam.* 11, 25, 807).

PROVIDENTIA DEI SPECIALIS ERGA HOMINES

At vero, quamquam ex opinione philosophorum, quos Cicero laudat, Deus omnia regit et curam gerit universi, et omnia quae mundo continentur omni discrimine remoto providet, tamen vitae hominum speciali modo et consulit et providet: «Sunt philosophi, et hi quidem magni et nobiles, qui deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censeant. Neque vero id solum, sed etiam ab isdem hominum vitae consuli et provideri; nam et fruges et reliqua quae terra pariat et tempestates ac temporum varietates caelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat maturata pubescant, a dis immortalibus tribui generi humano putant... quae talia sunt ut ea ipsa di immortales ad usum hominum, fabricati esse videantur» (CIC. *De Nat. Deor.* 1, 2, 4; Cfr. *Ibid.* 2, 39, 92; 2, 30, 77-80 et 53, 132; *De Div.* 1, 51, 117). Et re quidem vera, Deus principium est omnium omniumque finis ἀρχὴ πάντων, πάντων τε τελευτή, ut Graeci dicebant.

Ex eo omnia oriuntur et hominibus large dimanant, adeo ut Jovis omnia plena videantur (VERG. *Egl.* 3, 60). Neque haec satis. Nam ille divum pater (HOR. *Od.* 4, 6, 22), atque hominum rex hominibus non dubitanter invigilat, et «gentis humanae pater atque custos» (HOR. *Od.* 1, 12, 49). Vergilius: .

O qui res hominumque deumque
Aeternis regis imperiis, et fulmine terres. .

...hominum sator atque deorum (*Aen.* 1, 229-230 et 254).

Quae quidem opinio procul dubio ab ipso Tullio suffragatur, cum dicat: «Omnia quae sunt in mundo, quibus utuntur homines, hominum causa facta esse et parata» (*De Nat. Deor.* 2, 61, 154; Cfr. *Ibid.* 2, 93, 158), et in sua pro Roscio oratione: «Commoda quibus utimur, lucemque qua fruimur, spiritumque quem ducimus, ab eo nobis dari et impertiri videmus» (45, 131). Et Martialis, qui inter sua epigrammata nonnumquam gemmas habet:

Omnia cum tibi sint dono concessa deorum.

Si, quod habes, non vis, ergo quid accipies? (11, 57, 5-6).

Ceteroqui nullus est homo, si Deo supplicat, qui perpetuo, die noctuque, ejus munificentiam non sentiat: Di fundunt munera sine intermissione, diebus ac noctibus. Beneficia illorum nunc offeruntur ultro, nunc dantur orantibus. Quis est qui non senserit munificentiam deorum? Nemo est expers beneficiorum caelestium; nemo est ad quem non aliquid manaverit ex fonte illo benignissimo (*SEN. Benef.* 4, 3, 2 et 4, 4, 2).

DEUS SUA PROVIDENTIA SINGULIS CONSULIT

Nec vero universo generi hominum solum, sed etiam singulis hominibus, qui ubique sunt quacumque in ora ac parte terrarum, a diis immortalibus consuli et provideri solet (*Cic. De Nat. Deor.* 2, 65, 164; *De Div.* 1, 51, 117). Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus, sed profecto fuit quaedam vis, quae generi humano rebusque humanis consuleret singulari providentia (*Cic. Tusc.* 1, 49, 118).

Ipsae enim, «in cujus conspectu vivimus, scit omnia» (*SEN.* apud *Lact.* 1, 6; Cfr. *Cic. De Div.* 1, 11, 17), qui, quae nos gerimus, auditque et videt (Cfr. *PLAUT. Capt.* 243), interest animis, cogitationibus praeest, mentesque nostras perscrutatur: «Vivendum est, tamquam in conspectu vivamus; sic cogitandum est, tamquam aliquis in pectus intimum introspicere possit: et potest. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? Nihil Deo clausum est. Interest animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit, immo numquam discedit» (*SEN. Ep.* 83, 1; Cfr. *Cic. De Div.* 1, 57, 129 et *De Nat. Deor.* 1, 20, 54).

Et nefas esset illud Valerii Maximi praeterire silentio: Cum Thales interrogaretur an facta hominum fallerent deos: «Illos ne cogitata quidem fallunt», inquit. Admonuit nos hoc responso, ut velimus habere non solum manus puras, sed etiam mentes, cum numen caeleste adsit cogitationibus nostris secretis (7, 2, 8).

Et hoc persuasum hominibus debet esse. Si hoc etenim homines credi-

derint, non peccarent neque clanculum, neque aperte, nam metus supplicii divini a scelere eos revocaret. Ait enim Cicero: «Sit igitur hoc persuasum hominibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos, eaque, quae gerantur, eorum geri iudicio ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri et, qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri piorumque et impiorum habere rationem; his enim rebus imbutae mentes haud sane abhorrebunt ab utili aut a vera sententia» (*De Leg.* 2, 7, 15-16; Cfr. *De Off.* 3, 10, 44).

Sed omnia hucusque dicta hac ratione nituntur, Deum homines amare magis, quam nos ipsi:

«aptissima quaeque dabunt di
carior est illis homo, quam sibi» (*Juv.* 10, 349-350).

Homo enim est opificium deorum quibuscum quamdam cognationem, similitudinem, societatem habet; suumque ipsius animum Deus nobis ingeneravit, ex quo vere vel agnatio nobis cum caelestibus, vel stirps, vel genus appellari potest (*Cic. De leg.* 1, 7, 23 et 1, 7, 24). Ceterum, homini tantum inter cetera animalia jus dedit caput ejus ad caeli, quasi cognationis, domiciliique sui, conspectum (*Cic. Tusc.* 1, 11, 24 et 1, 22, 51). Quibus adstipulatur Ovidius:

«Prona cum spectent animalia cetera terram
os homini sublimi, dedit caelumque tueri;
jussit, et erectos ad sidera tollere vultus» (*Metam.* 1, 84-86).

Habes, lector humanissime, quae ex classicis scriptoribus deprompta, tibi ante oculos ponere volui, ut videres quam bene Latini auctores de Dei Providentia senserint et disputaverint. Alioqui plura alia sunt quae in medium proferre possum, sed in tanta locorum vi atque copia, quae dixi satis tibi fecisse putabam.

PROSPER M. SANSEGUNDO, O. S. B.

NOVA ET VETERA

RADIOPHONIUM


1. Visus, auditus, motus: en tibi quasi tres praecipui fructus seu emolumenta praecipua vis electricae, quae in praesentiarum totius fere artis mechanicae in hominum industria est elementum. Indeque ars televisionis, ars radiophonica, ars telegraphica, ars cujuslibet in aëre, mari terraque motionis nata.

Jam vero a remotissima in sinu terrae inventione sucini vel *electri*, a quo facile nomen accepit, ad nostra usque tempora progressus technici magno opere ars scientiaque fluxus vel cursus electrici, cujus tamen incognita adhuc apud sapientes manet definitio, processit. Quorumnam in sapientium mentem humilia nunc *electri* recordatio veniat, cum animo tot ante recentia artis technicae machinamenta minime stupere non possint?

Sucinum autem electrumve est translucidum ad se paleas, pilos, festucas idque genus alia, vi suae ipsius naturae, trahens. Quod non est lacrima vel resina arborum, prouti veteres physici autumabant, sed bituminosum quoddam maris purgamentum, in litoribus Baltici maxime collectum, aut e mari extractum. Id vero cum durescit, quo facilius poliri queat (in recenti quippe industria admodum adhibetur), *gagates* dicitur; a Plinio autem *gemma Samothracia* nuncupatur. Annon et *electris, idis* nomen commode de re procudere nostrum in usum possimus?

2. Aliud ex elementis terrae vel metallum, nostra aetate inventum, est *radium*. Cui mirae dotes, cum industriae pacis tum bellicis armamentis, insunt. Atque nomen metallum hoc nostro invento *radiophonico* vulgo commodavit. Quod quidem *marconianum* ab aliis inventum appellari consuevit. Neque, quod videtur, de arte vel disciplina radiophonica agi dedecet lingua Latina.

In adjuncta tabula picta, amice lector, tanquam delineatio apparet vel, si mavis, adumbratio apparatus receptoris radiophonici, cum praecipuis in usu technico vocabulis, quae isto modo adhiberi possunt in Latina atque Hispanica lingua:



- | | | | |
|---|---------------------------------------|----|-----------------------------------------------------|
| 1 | <i>Microfono</i> , microphonium | 8 | <i>Bateria</i> , series |
| 2 | <i>Antena</i> , antemna | 9 | <i>Auricular</i> , auriculare, auscultatorium |
| 3 | <i>Toma de tierra</i> , terrae captus | 10 | <i>Receptor</i> , receptor (apparatus), receptorium |
| 4 | <i>Anodo</i> , anodus | 11 | <i>Altavoz</i> , megalophonium |
| 5 | <i>Rejilla</i> , renixus | 12 | <i>Reóstato</i> , rheostatum |
| 6 | <i>Válvula</i> , valvula | | |
| 7 | <i>Cátodo</i> , cathodus | | |

3. A non nullis vero Latinarum litterarum scriptoribus, iisque praeclaris, radiophonicum instrumentum, vel scrinium radiophonicum, vel capsella radiophónica, ille dicitur apud omnes perquam notus apparatus vel instrumentum, quo nuntii, concentus, acroamata, sermones, alia id genus ad nos commode nulloque fere negotio in familia consociatos deferuntur. Aliis autem placet scrinium undisonum, vel scrinolum undisonum idem appellare.

Nos equidem vocabulum *radiophonium*, in usu quoque apud non nullos, adhibere juvat; quin tamen displiceat hoc pacto *radium*, per apocopem, brevius illud reddere, quod procul dubio vocabulum magis faciet in vulgi usum; hoc enim verba maxime ad compendium confert, ut facile cuilibet constare potest.

Ceterum in iis aliisque recentioris linguae Latinae vocabulis cudendis atque astipulandis multum adhuc usui, ad rem judici nato, consulendum manet. Bona tamen omnium opera Latinitatis cultorum aliquando in unum tandem de nomenclatura venire —quis possit dubitare—, dabitur. Quod faxit Deus quantocius ut nos salutemus!

Interim mihi quidquam arridire tecisseque amice lectori videbor, si sequentes de radiotelegraphia versus, eosque clarissimi nostrorum dierum po-

ētae, eidem delibandos referam. Ita Acastes Bresciani rem elegantibus describit versibus:

«Arte hominum electum, antennaque per aethera fulmen
 Cum tremitu emitsum, bractea quo trepidat,
 Vicinae quando percussa est murmure vocis,
 Filis se expediens, mobilis unda, volat;
 Tranansque inmensum, pervadens omnia, caelum,
 Terrarum ictu oculi perficit orbis iter.
 Cumque urbes multae credant sua carmina caelo,
 Vibrantesque undae cum totidem volitent,
 Haud tamen hae coeunt, nec fortior unda minorem
 Sorbet, nec fractam saxa reperiunt.
 Illam non imbres, non miscet saeva procella,
 At servat tremitus quaelibet unda suos.
 Haec, occulta tibi, primum capiunda. Neque ingens
 Hic labor, at satis est tendere fila cupri.
 Namque cupri cupidas, quas vis, captabis et illas
 In capsam poteris cogere daedaleam,
 Flexis quae ejusdem filis optata metalli,
 Ardeat occulto lumine lampadibus.
 Multiplicis taedae hae virtute electricidis ustae,
 Ut fervent atomis, non semel amplificans
 Omnisonaeque tubae vertendos denique tradunt
 Undantes tremitus. Bractea tum similis,
 Non aliter vibrans, progignit prorsus eosdem,
 Qui procul hinc tremitus jam genuere, sonos».

(Radiotelephonia, carmen in Locrensi certamine... magna laude ornatum, p. 1-2).

4. Denique nomenclaturam his quae supra innui electricam, non omnino tamen completam, appendicis ergo lectorique consulendam adjunctam volui:

<i>Amperto</i>	amperium
<i>Audióñ</i>	audio, onis
<i>Autoinducción</i>	autoinductio, onis
<i>Bobina</i>	orbiculus [bobina]
<i>Bombilla</i>	ampulla
<i>Carrete</i>	carrulus, i
<i>Chispa</i>	scintilla
<i>Circuito</i>	circuitus, us

<i>Condensador</i>	condensatorium
<i>Contador</i>	index, icis
<i>Corriente</i>	cursus, us, fluxus, us
<i>Corriente de inducción</i>	cursus inductus
<i>Detector</i>	detectorium
<i>Electroimán</i>	electromagnes
<i>Electrón</i>	electro, onis
<i>Filamento</i>	fibrae. arum
<i>Galena</i>	galena
<i>Hectovatio</i>	hecatovatium
<i>Hilo eléctrico</i>	filum electricum
<i>Imán</i>	magnes, etis
<i>Inducción</i>	inductio, onis
<i>Interruptor</i>	clavis, is
<i>ión</i>	ion, onis
<i>Lámpara</i>	lampas, lucerna
<i>Marconigrama,</i>	marconigramma, tis
<i>Motor</i>	motorium
<i>Ondas eléctricas</i>	fluctuantes soni, undulae
<i>Oscilador</i>	oscillum
<i>Pantalla</i>	umbella
<i>Pilas eléctricas</i>	vasa electrica
<i>Polo</i>	polus, i
<i>Poste</i>	sublicium
<i>Potenciómetro</i>	potentiometrum
<i>Radiodifusión</i>	radiodiffusio, onis
<i>Radioelectricidad</i>	radioelectris, idis
<i>Radioescucha</i>	radioaudiens, tis
<i>Radiofonía</i>	radiophonia
<i>Radiograma</i>	radiogramma, tis
<i>Radiomensaje</i>	radionuntius
<i>Radiotelefonía</i>	radiotelephonia
<i>Transformador</i>	transformatorium
<i>Turbina</i>	turbo, inis
<i>Voltímetro</i>	voltimetrum
<i>Voltio</i>	voltium

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

CURSUS GYMNASTICUS

VIDES UT ALTA STET NIVE CANDIDUM

(Hor Carm. 1, 9)

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte, nec jam sustineant onus
silvae laborantes, geluque
flumina constiterint acuto...

Dissolve frigus, ligna super foco
large reponens atque benignius
deprome quadrimum Sabina,
o Thaliarche, merum diota.

Permitte divís cetera, qui simul
stravere ventos aequore fervido
deproeliantes, nec cupressi
nec veteres agitantur orni.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere et
quem fors dierum cumque dabit, lucro
adpone, nec dulces amores
sperne puer neque tu choreas,

donec virenti canities abest
morosa. Nunc et campus et areae
lenesque sub noctem susurri
composita repetantur hora;

nunc et latentis proditor intimo
gratus puellae risus ab angulo
pignusque dereptum lacertis
aut digito male pertinaci.

*Ves cuál se yergue de alta nieve blanco
el Soracte, ves cómo ya no pueden
con el peso las selvas abrumadas
y se pasmó de agudo hielo el río...*

*Sacude el frío echando con largueza
leños y leños al hogar, y pródigo
saca el vino que en ánfora sabina,
oh Taliarco, posa ya cuatro años.*

*Deja a los dioses lo demás: al punto
que ellos calman los vientos en combate
sobre el piélago hirviente, ni los viejos
olmos ni los cipreses se menean.*

*No inquietes tu mañana, y todo día
que el hado te brindare, ten por lucro;
ni los dulces amores tú desdeñes,
en tanto que eres joven, ni las danzas,*

*mientras de tu verdor vaga aún tan lejos
la quejosa canicie. Busca el campo
Marcio y las plazas y a hora convenida
los sumisos coloquios del crepúsculo.*

*Goza la grata risa que desde hondo
rincón traiciona a la muchacha oculta,
y la prenda de amor arrebatada
al brazo o dedo en frágil resistencia.*

M. M.

Carminis argumentum et indoles

Praecipua hujus carminis ratio sita est in conferenda acri et frigida hie-
me cum hominum juventute quae ad dulces amores et voluptates invitat.
Horatius oculis poëtae epicurei naturam sub hiberno tempore e fenestra do-

mus contemplatur et amicum hortatur ut, iis quae juvenus suppetit, a frigore sese defendat.

Nunc hiems acrius assueto urget (v. 1-4), nam Soracte alta rigescit nive (v. 1-2), nivis onere silvae laborant (v. 2-3) geluque flumina sunt constricta (v. 3-4). Ubique frigus, mors, maeror, tristitia! Ergo voluptas et gaudium vivendi evanuit? Minime vero, immo nos etiam quidquam teporis et laetitiae afferre sciemus (v. 5-24). Nam super foco excitabimus ignem (v. 5-6), corda nostra Sabino mero sublevabimus (v. 6-8), nobis cura haud nimia erit hiberni temporis quod dii constituta vice in vernum mutant (v. 9-12), quid sit futurum cras fugiemus (v. 13-18) et quibus verna vere juvena scatet, repetemus voluptates: ludos in campo Martio, plateas (v. 18), tempus et locum ad amorem et colloquia statutum (v. 19-24).

Haec sunt consilia quae maturus homo ac rebus humanis edoctus amico suo praebet vivendi anxietate nimis forte vexato.

Nonnulla ad plenioram interpretationem carminis notabimus; ad rationem stilisticam quod attinet, quidquam de verborum tantum collocatione dicemus.

Aestheticae et stilisticae adnotationes

V. 1-4. VIVISSIMA HIBERNI TEMPORIS IMAGO.

Horatius quae Soracti loca adjacent sereno animo conspiciens, verissimam hiemis Romanae imaginem paucis absolvit. Tria tantum descriptionis elementa oculis subduntur eaque quasi sopita, immobilia, mortua: mons, silvae, flumina. Poeta e minus ad magis singularia in describendo descendit. Primum nivea Soractis mole praestringuntur oculi, deinde candore nivis paulatim assueti silvas, demum flumina gelu constricta percipiunt.

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte, nec jam sustineant onus
silvae laborantes, geluque
flumina constiterint acuto...

stet: totum emineat candidum multa nive, quasi oculorum obtutum sua mole claudens.
Soracte: mons in Sabinis Apollinis sacer. A Roma XVII milia passuum abest (37 Km.). Horatius ab Urbe vel Tibure propius Soracte contemplari poterat. — **laborantes:** metaphorice, quasi silvae ut animalia sensu motuque praedita, pondere et magnitudine nivis defatigantur. — **geluque:** vivida imago qua, viventium more, flumina sub gelu torpere coguntur. Ut homines torpescere frigore videntur, ita flumina a cursu quodam modo impediuntur gelu. — **acuto:** acri, vehementi, ut alibi apud Horatium (*Epist.* 1, 10, 17).

Nota argutissimam vim dicendi ex verborum distributione.

Vides: primo loco, quasi facile et sensim introducens visionem poëticam: «ut fas est videre, ut ob oculos habes» — **alta - nive:** Horatius epithetum a nomine disjungens magnam nivis quantitatem vividius exprimit. — **candidum - Soracte; onus - silvae:** nota sententiam claudī in versum alterum productam ita ut ex verbis quae syntaxice seponi non patiuntur aliud primum versum coronet, aliud ineat proxime subsequentem [hispan. *encabalgamiento*, gall. *enjambement*]; haec sensus et verborum in alterum versum productio ac redundantia optime repraesentare videtur quandam rotunditatem montis qui sub nive propriam formam amisit et lentam illam flexionem ramorum nivis pondere laborantium. — **geluque - acuto:** hac disjunctione atque inversione vocum vim frigoris insignitorem facit poëta. — **flumina - constiterint:** haec flumina juxta verbum *constiterint* et inter vocabula *gelu - acuto* etymologicam amiserunt imaginem (*flumen* = a fluendo), nam hujusmodi *flumina* re vera non fluunt

V. 5-8. ET EX CORPORE ET EX ANIMO FRIGUS EXCUTIENDUM.

Ex rigenti planitie ad interiorem eamque tepidiorum domum mens poëtae confugit. Potius quam naturae viribus sese inferiorem habere, homo niti debet quam maxime ei obsistere: igne excutiat frigus corporis, animi taedium vino. Itaque, si foris hiems urget, domi caleflemus.

Dissolve frigus, ligna super foco
large reponens atque benignius
deprome quadrimum Sabina,
o Thaliarche, merum diota.

Dissolve: discute, laxa frigus quo corpus constringitur — **super foco:** focus in primis qui in villis rusticis hiberno tempore continuo fumat. Animadvertite in hac «scaena» domestica calidiorum quandam amicitiae familiaritatem percipi atque obniti spectaculo quod gelida natura et oculis et animo foris praebet. — **deprome:** id est, fac ut deponatur; Thaliarchus enim amicus vel hospes creditur, non servus. — **quadrimum - merum:** vinum quattuor annorum, idcirco vetus ac bonum, quamvis non exquisitum, cum in Sabinis vinum diutius servari non posset. — **o Thaliarche:** e Graeca lingua, idem sonat atque «rex convivii». Utrum sit verum viri nomen an potius commenticium, non patet. — **Sabina - diota:** graece est testa duabus ansis praedita; vocatur a poëta per hypallagem *Sabina*, quod potius *Sabinum* merum contineat.

Haec de verborum collocatione.

Dissolve: primum obtinet locum, nam vividius interpretatur tenax consilium poëtae frigori resistendi — **quadrimum - Sabina; merum - diota:** en duplex disjunctio in qua nomina et adjectiva ad perpendicularum distribuuntur ita ut pariter eundem locum in versu subsequenti obtineant. Haec artificiosa et scita verborum positio fortasse respondet vehementissimo Horatii fere ad sattetatem studio urgendi et commendandi adeo instantissime vinum quo et corporis et animi frigus excutiat atque repellatur.

V. 9-12 PERMITTE DIVIS CETERA.

Superi omnium rerum rectores, cum volent, vernum tempus reducent.
Quare frustra et stulte excruciantur homines nimia hiemis et ceterorum cura.
Omnia divis relinquenda nobisque rebus tantum humanis incumbendum.

Permitte divis cetera, qui simul
stravere ventos aequore fervido
deproeliantes, nec cupressi
nec veteres agitantur orni.

Permitte: alia negotia superis committenda, tu vero tantum cura quo modo beatam hilaremque vitam, o Thaliarche, vivas **simul:** simul ac. — **stravere:** superum est ventos hiernos pacare ut sereno veri cedant. — **aequore fervido:** est ablativus loci. Fervidum aequor vocat Horatius eo quod tempestate vexatum mare fervere videatur. — **deproeliantes:** metaphora a re militari sumpta. In mentem revocatur illud Vergili: Omnia ventorum concurrere proelia vidi (*Georg.* 1, 318) — **nec cupressi nec... orni:** adeo divorum voluntas pollet ut tranquillitas aequori imposita vel in terras diffundatur. Signum est serenitatis quae ope deorum splendet in natura.

Animadvertas haec velim de positione verborum.

ventos - deproeliantes: nota disjunctionem qua imaginem Horatius insignitorem facit; — *deproeliantes*, postremum sententiae locum habet et ita vividius in animo defigitur. — **aequore-fervido:** epithetum nomen per inversionem insequens vim imaginis intensiorem efficit — **agitantur:** verbum hoc est inter alias voces interna positione clausum, nam poetae interest fere omnino illud velari quo sensibilius serenitas naturae percipiatur in orni quae in extrema stropa quietissimae surgunt.

V. 13-18 QUID SIT FUTURUM CRAS FUGE QUERERE.

Ne quid futurum cras quaesieris, ne de senectute quidem cogitaveris,
quae vere hominibus quasi vitae est hiems. Juventae flore viges, quicumque
dierum tibi lucrum; te ergo puerum amoribus voluptatibusque frui oportet.
Vult enim Horatius amicum in diem vivere.

Quid sit futurum cras fuge quaerere et
quem fors dierum cumque dabit, lucro
adpone, nec dulces amores
sperne puer neque tu choreas,
donec virenti canities abest
morosa.

fuge quaerere: cave ne investiges quod tibi superi fatum dederint; non est hic deorum neque humanae scientiae neglectus, potius cujusdam summae voluntatis et sapientiae quae

super nos exstat, reverentia. — **quem... cumque dierum**: vide quam rhetorici tmesim vocant. — **fors**: quaedam vis et necessitas quae, nec bona nec mala, repelli nequit. Fortuna potest invocari fors autem non potest et ei nos nostraque subigenda. — **lucro adpone**: vivida metaphora e re mercatoria desumpta. Ut enim callidi mercatores quocumque die nos superi donaverint, in lucris ponemus. — **puer**: *puer* apud Latinos incertam aetatem indicabat, nempe pueritiam, adulescentiam immo et juventutem. — **choreas**: saltationes quae in conviviiis spectaculo erant, saltare enim non decorum Romanis. — **virenti**: dat. commodi, tibi scilicet juveni adhuc et aetatem viridem agentis. — **morosa**: eadem sonat atque *querula*, nam senecta mori consuerudinique nimis dedita de omnibus queri non desistit. Metonymia effectus pro causa, id est, efficiens morosos, difficiles senes.

De re stilistica hujus strophae nota.

neque tu: aliquis scholiasta quandam vim dicendi in hujusmodi verbis in oratione interpositis reperit: quidquam erga Thaliarchum invidiae et animi affectus. Quam diu jam ex pueris Horatius excessit! — **virenti - canities**: res contrariae juxta se positae pressius notantur: ita poeta virentem Thaliarchi aetatem vividiore nota premit. — **canities - morosa**: disjunctione et inversione verborum senectae morositas instantius repraesentatur. — **abest**: verbum Horatius aliis vocabulis intercludit ad quandam senectutis adhuc longinquitatem exprimendam. — **donec virenti canities abest - morosa**: vates copiam dicendi intra unius strophae limites non continens in alterius versus profundit atque producit. Nonne ita juventutis, cui nullus limes, fervor et impetus vividiore modo illustratur?

V. 18-24 JUVENIBUS JUVENTAE VOLUPTATES.

Curis solutus Thaliarchus perquirat voluptates quas juvena juvenibus elargitur: exercitia gymnica in campo Martio, jucundas cum amicis per areas sermocinationes, horam ad intima colloquia et amorem compositam.

Nunc et campus et areae
lenesque sub noctem susurri
composita repetantur hora;

nunc et latentis proditor intimo
gratus puellae risus ab angulo
pignusque dereptum lacertis
aut digito male pertinaci.

campus: campus Martius in quo adulescentes Romani ludis gymnics exercabantur. **areae**: plateae in primis quae pro templis patebant, porticibus circumdatae in quibus juvenes hilare libenterque sermocinabantur. — **lenesque sub noctem susurri**: dulcia colloquia amantium qui ne ab aliis exaudiantur submisso loquuntur. Enclitica *que* loco et ab Horatio usurpatur parum hic de grammatica curans quam optimo poetae licet interdum recusare. Ita sumpta conjunctio copulativa tertium enumerationis membrum perbelle introducit: *et campus et areae et lenes (=lenesque) susurri*. — **nunc et latentis**. : Horatius qui jam diu non est puer, tamen in jucundiores scenas amantes agit: puella in umbra latet puerum exspectans, sed ab intimo

angulo subito suo risu proditur; puer se derisum simulans nititur pignus deripere quod illa se velle fingit retinere cum revera sibi adimi cupiat. — **risus**: hic risus ad angulo coortus, alacer, festivitate gestiens, horridam supra descriptam hlemem compensat. — **pignusque dereptum**: (*lacertis*) sese ad armillam poëta refert, vel (*digito*) ad anulum nempe, pignora quae mutuo amantes inter se donant. — **male pertinaci**: id est, simulate renitenti, cum mox ultro cedit.

His tribus adnotationibus stilisticis commentarium absolvamus.

lenesque sub noctem susurri: nota verborum collocationem ad evocationem poëticam obtinendam: primum adjectivum *lenes*, deinde *sub noctem* complementum temporis, demum substantivum *susurri*. Notandi quoque hujus versus soni qui quattuor litteris sibilantibus, duarum nasalium suavitate, liquida geminata (*p, s, s, n, s, s, s, rr*) adeo submissos amantium susurros imitantur. Confer illud etiam Horatii quod idem fere sonat:

Tum in lecto quoque videres

stridere secreta divisos aure susurros (*Sat. II 8, 78*).

nunc et latentis proditor intimo gratus puellae risus ab angulo: haec esset regularis constructio: *nunc et (repetatur) gratus risus, ab intimo angulo, proditor puellae latentis*. Horatius tamen in primo versu epitheta, in altero vero substantiva infra ad perpendicularium dispersit. Quo pacto poëta quamvis nonnihil, ut videtur, constructionem obscurans, triplicem audacius efficit disjunctionem, ut *insperatum risum* quasi gradatim exprimat puellae nescio ubi latentis seseque paulatim ostendentis. — **digito male pertinaci**: hac epitheti postpositione vividiore modo puellam fecte renitentem inducit.

Nihil supervacaneum et impolitum in hoc carmine quod in optima et accuratissima vatis Venusini inserendum putamus. Non dubium quin humanissimus lector sit delectatus his versibus interpretandis in quibus Horatius quamquam Epicuri sectam professus in fruendis voluptatibus — quod facile in eximio poëta qui christianam revelationem non attigit, nemo non excusabit — falso beatitudinem putat, tamen tot et tam pulchros dicendi flores studiosis suorum carminum offert.

M. MOLINA, C. M. F.

DE CHOERILO POETA

ARISTOTELES (384-322 a. Chr. n.) in libro octavo «Topicorum» 157 a 15-16 Homerum affert testem evidentis perspicuitatis, quae exemplis et comparationibus efficitur; contrarii vero vitii orationis, id est: obscuritatis plenum Choerilum poëtam epicum eodem loco ille philosophus vituperat; atque in eo libello qui «refutationes sophisticae» (=«*sophistikoi elenchoi*») inscribitur et nonus quoque liber «Topicorum» numeratur, 166 a 37 hunc versum hexametrum poëtae, hic nomine carentis, addit:

πεντήχοντ' ἀνδρῶν ἑκατὸν λίπε δῖος Ἀχιλλεύς.

Etiam hoc loco «refutationum sophisticarum» Aristoteles rursus duos poëtas epicos inducit: primo poëtae adhuc ignoti versum illum heroicum (πεντήχοντ' ἀνδρῶν) et deinceps post tres lineas (166 b 3) Homerum, cujus versiculum dimidium profert; duos igitur iterum artifices epicos, quorum obscuritate dicendi exempla fallaciae dictionis traduntur in «refutationibus sophisticis», cum in «Topicorum» libro octavo (157 a 15-16) e contrario de perspicuitate orationis sermo esset. Quo fit, ut ex Aristotelis verbis «Topicorum» et «refutationum sophisticarum» modo allatis hanc aequationem inter poëtas epicos eorumque versus deducere possimus:

Topic. 157 a 15-16: **Homerus et Choerilus nominantur.**

Refut. sophist. 166 a 37-b 3: **poëta nomine carens et Homerus proponuntur.**

Ergo: **poëta hic nomine carens idem atque Choerilus sine dubio haberi potest.**

Re vera ille versus (166 a 37) a Choerilo factus est, sicut his argumentis confirmari opportunum est:

Jam Aristoteles ipse propter Choerili aliorumque poëtarum obscuritates versuum opus tribus libris compositum perfecit, quod inscribitur «aporemata Archilochi, Euripidis, Choerili» (ordine temporum horum poëtarum recte servato); cfr. *Aristotelis fragmenta* edidit Valentinus ROSE (Lipsiae 1886, Teubneriana) 16: *Katalog Hesychios* nr. 144; unicuique poëtae unus e tribus libellis respondisse videtur. Et inter Choerilum in «Topicorum» libro octavo 157 a 15-16 commemoratum et illum Choerilum, qui inscriptione Aristotelici libri «aporemata... Choerili» laudatur, rationem aequalitatis intercedere facile potest intellegi, ut Aristotelem ipsum de suo libro «aporemata... Choerili» iudicium de eodem Choerilo (in «Topicis») factum sumpsisse sine dubio dicamus, et «Topica» post illud opus «aporemata... Choerili» scripta existimemus, luce clarius est in illo Stagiritae loco «refutationum sophisticarum» (166 a 37) verum fragmentum Choerili exstare.

Praeterquam quod Aristoteles de Choerili aliorumque poëtarum vitiis dictionis verba fecit, de Homeri quoque elocutione iudicavit, quemadmodum e philosophi Peripatetici studiis Homericis concludi licet (Cfr. DIOGENES LAERTIUS, V. 26 nr. 118; *Aristotelis fragmenta* edidit Valentinus ROSE (Lipsiae, 1886, Teubneriana) 14 nr. 106 16 nr. 147). De Homeri multo magis quam de Choerili genere loquendi Aristoteles disputare poterat et Homerum tamquam normam ac metam omnis artis epicae constituere; ita princeps scholae Peripati doctrinam artis poëticae statuens velut fons omnium testimoniorum criticorum ad Homerum spectantium evasit.

Feliciter accidit, quod EUSTATHIUS, doctissimus ille archiepiscopus Thesalonicensis (c. 1120-1194 p. Chr. n.) de Choerilo hunc ad modum loquitur in opere, quod inscribitur «commentarii ad Homeri Iliadem» vol. I (Lipsiae, 1827) 143, 43: κακία γαρ παραβολῆς το ἄγνωστον και ἀσύνηθες, εις ὁ αἱ του Χοιρίλου κακίζονται παραβολαι. Ergo Eustathius quoque testatur Choerili comparationes exemplo esse omnino non posse, utpote quae non intellectui legentium neque consuetudini sermonis conveniant. Isdem certe de causis adductus olim Aristoteles Choerili artem poëticam reprehendit; et nos hodierni homines propter eadem vitia in illo versu heroico (166 a 37) obvia eundem Choerilum semper auctorem istius versiculi ambigui putare debemus; quod fragmentum usque ad nostram memoriam nondum Choerilianum cognitum jam jam ad «epicorum Graecorum fragmenta» adjungendum est, quae edidit Godofredus Kinkel (Lipsiae, 1877, Teubneriana) 265-272.

Posteaquam novum fragmentum carminis Choerili esse demonstravimus, id monere oportet in Aristotelis verbis «refutationum» 166 a 37 post articulum τὸ addendum non esse nomen Choerili (= του Χοιρίλου); Aristotelis enim est, nomen scriptoris omittere, si nomen e verborum serie facile intellegitur; Aristoteles vero sicut in «Topicis» 157 a 16, tantum nomen Choerili, versu nullo apposito, laudat ac postea in «refutationibus sophisticis» 166 a 37, Choerili versum affert, quin ejusdem poëtae nomen prodat, ita prorsus eodem pacto in opere de «rhetorica» III, 1415 a 6, primo nomen tantum Choerili profert et deinde paulo post, 1415 a 16, fragmentum ejusdem Choerili, nomine ipsius poëtae tacito, adhibet.

Quo modo nunc ratione et via ex ARISTOTELIS operibus «Topicorum» et «refutationum sophisticarum» fragmentum Choerili novum certo recuperavimus, ita etiam ex EUSTATHIO fragmentum Aristotelis derivare possumus; etenim Eustathii iudicium de Choerilo ex Aristotelis libro «aporemata... Choerili» profectum esse opinione firmiter videtur; nam praeter Aristotelis scriptum volumen «aporemata... Choerili» nullum aliud opusculum antiquitatis de Choerilo poëta nobis notum est; accedit quod Eustathii existimatio artis Choerili cum Aristotelis sententia de eodem vate epico congruit: et Aristoteles et Eustathius easdem Choerili παραβολάς aggrediuntur; vocabula autem illa, quibus Eustathius de hujus poëtae facultate dicendi utitur ἄγνωστον et

ἀσύνηδες ad artem criticam viri grammatici et philologi pertinent atque dicendi vitia perspicuitati contraria indicant; apud Aristotelem ipsum in «*Metaphysicis*» 995 a 2, similiter διὰ τὴν ἀσυνήθειαν ἄγνωστον scriptum videmus; praeterea licet affirmare Eustathium Homeri carmina explicantem non modo ex Aristotelis studiis Homericis (Cfr. *Aristotelis fragmenta* edidit ROSE, cfr. 168, 271, 496, 506, 545), verum etiam ex aliis hujus Stagiritae operibus annotationes ad Homerum spectantes hausisse, quas, ut opinari licet, per alios scriptores susceperat; ut Neoptolemus Peripateticus (circa annum a. Chr. n. 300) multa Aristotelis placita de arte poëtica evulgavit, ita Porphyrius, nobilissimus philosophus, Plotini, qui minoris ingenii erat, discipulus (233-304 p. Chr. n.) vir litteris uberrimus, permulta ex Aristotele per amplas «*quaestiones Homericas*» ad scriptores posteros transmisit; unde in promptu est comprehendere Eustathii animadversionem de Choerilo variis litterarum rivulis traditam primo ab Aristotelis mente defluxisse, ita ut sine haesitatione definire possimus illud Eustathii de vitio dictionis Choerilianae iudicium certe fragmentum quoddam ex Aristotelis libro «*aporemata... Choerili*» habendum esse.

Postremo scientiae dignum est etiam apud auctores Romanos nomen Choerili poëtae lectitari. Imprimis HORATIUS (65-8 a. Chr. n.) laudandus est, qui in «*epistulis*» II, 1, 232-234 et in «*arte poëtica*» 357-359 de Choerilo Graeco versuum artifice memorabilia pervulgat; dicit enim vates Romanus haec in «*epistulis*» II, 1, 232-234:

gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Choerilus, incultis qui versibus et male natis
rettulit acceptos, regale nomisma Philippos;

et in «*arte poëtica*» 357-359:

sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
quem bis terve bonum cum risu miror, et idem
indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.

Horatium autem, qui Athenis philosophiae Graecorumque litteris operam dedit, etiam disciplinam ac doctrinam artis poëticae Peripateticam cognovisse verisimillimum est; nam inter viros doctissimos aetatis nostrae constat Horatium in «*arte poëtica*» componenda etiam per Neoptolemum Peripateticum plurima praecepta poëtica peripatetica accepisse ac posteris tradidisse Neoptolemus ille assecla scholae Peripateticae natus in oppido Pario (in Bithynia, provincia Asiae Minoris) circa annum a. Chr. n. 300 in urbe Alexandria floruit et docuit ac versus librosque artem poëticam tractantes confecit; fuit fortasse aequalis Callimachi, poëtae doctissimi et a bibliotheca Musei, quod aedes virorum litteratorum et innumeros libros continebat; etiam

Neoptolemus poëta doctus in Musei Alexandrini sodalibus numerari potest (Cfr. RE, *Neoptolemos von Parion*, nr. 11 columnae 2465, 56 ubi versus 333-346, 408-415 «artis poëticae» Horatii ex opere quodam Neoptolemi sumpti esse dicuntur). Dubitari vero nequit quin idem Neoptolemus, Peripati doctrinae poëticae favens, Aristotelis opera omnia, ad artem poëticam pertinentia, in libris de arte poëtica exarandis adhibuerit; nam Alexandria tunc temporis sedes disciplinae Peripateticae fuit. Hac igitur via tandem factum est, ut Choerilus ex Aristotelis opere «aporemata... Choerili» per Neoptolemum ab Horatio Athenis degente cognosceretur. Ceterum Horatii notae ad Choerilum spectantes perinde atque Eustathii iudicium ad artem poëtice dicendi pertinent ut inde efficere possimus etiam in illis duobus Horatii locis, duo fragmenta ex Aristotelis libro «aporemata... Choerili» contineri.

Denique jam summam de Choerilo poëta epico faciamus:

Choerilus ex oppido Iaso (in Caria Asiae Minoris) non longe a Mileto sito oriundus erat Ionius ut olim Homerus, quem imitabatur. Aristotelis aequalis et circa idem fere tempus (circa 380 a. Chr. n.) natus, Choerilus ipse ut paene omnes homines docti illius aetatis Athenas profectus videtur esse, ubi usque ad expeditionem Alexandri Magni contra Persas fuit; et in regis cohorte virorum litteratorum erat (cfr. RE, *Choirilos*, nr. 5 col. 2362, 5), ubi quasi poëta regius versabatur ad carmen scribendum, quo Alexander eodem fere modo celebraretur quo Achilles olim ab Homero; sed Alexander malle se Thersiten Homeri esse asseruit quam hujus (sc. Choerili) Achillem (cfr. RE., *Choirilos*, nr. 5, col. 2362, 24). Choerilus regale nomisma, id est, monetas = «Philippos» honorem operis accepit (Cfr. HORATII, epist. II, 1, 234); erat inter adultores litteratos regis Macedonum (Cfr. RE, *Choirilos*, nr. 5, col. 2362, 47).

Callisthenes, nepos ac discipulus Aristotelis, ipse quoque in hac cohorte virorum doctorum munere scriptoris rerumungebatur et ad Aristotelem Athenis docentem forsitan de Choerili rebus gestis iudicium et reprehensionem miserit, sicut e moribus Callisthenis illudentis et acerbe agredientis suspicari licet. Choerili ars effigendi versus non ita aestimabatur, quoniam majore sui fiducia atque superbia quam facultate poëtica praeditus erat, Aristoteles primus Choerili stultitiam atque ineptias cognovit ejusque modum obscure dicendi statim vituperavit. Neoptolemus ex oppido Paro natus (circa annum a. Chr. n. 300) idem Aristotelis iudicium de Choerilo protulisse videtur, quod Horatius in epistulam II, 1, 232-234, et in «artem poëticam» 357 recepit. Neoptolemus in tres partes divisit artem poëticam: in ποιησιν, id est: carminis argumentum, in ποιήματα, id est, carminis formam stilisticam; in ποιητῶν, id est: carminis scriptorem; ad ποιησιν Choerili spectat Alexandri regis animadversio liberrima dicentis «malle se Thersiten Homeri esse quam hujus (Choerili) Achillem»; unde manifestum fit Alexandri expeditionem contra Persas in formam quandam belli Trojani a Choerilo exaratam esse; Horatii quoque

verbum «cum risu miror» (in «arte poëtica» 358) pertinere ad ποιήσιν Choerili certum esse videtur; ad ποιήματα tamen spectant annotationes de «parabolis» (=comparationibus) et de «versibus incultis et male natis» (=difficilibus intellectu) apud Horatium in «epistula» II, 1, 233; ad ποιητήν, id est: carminis scriptorem monstrant illae voces, quibus Choerilus adulator regis et servus poëticus imperatoris Alexandri ostenditur. Quae triplex divisio artis poëticae non a Neoptolemo demum sed jam ab Aristotele inventa esse videtur; fortasse hujusmodi testimonia in illo opere «aporemata... Choerili» explicabantur quem librum ante «Topica», ubi Choerilus judicatur, scriptum esse veri simillimum existimemus. Choerili ars poëtica semper cum Homeri arte comparatur, eo quod imitator Homeri erat, et Choerilus poëma multis constans carminibus perfecisse videtur; (Cfr. HERMIAS, in *Platonis Phaedrum*, p. 112). Ex quo heroico poëmate tam amplo solum hoc unum fragmentum ex Aristotelis «refutationibus sophisticis» (166 a. 37) casu a me inventum est et simul duo Aristotelis fragmenta repperi.

Ad extremum restat, ut fragmenta in hac quaestione de Choerilo poeta inventa enumeremus:

primo ex Aristotelis «refutationibus sophisticis» 166 a 37 *fragmentum Choerili*;

deinde apud Eustathium ad Iliadem vol. I, 143, 43 *fragmentum libri Aristotelis*, qui «aporemata... Choerili» inscribitur;

postremo in Horatii duobus locis: epist. II, 1, 232-234 et «arte poëtica» 357 *duo fragmenta ad idem Aristotelis opus «aporemata... Choerili»*.

DR. AEMILIUS ORTH

Ex nova PALAESTRAE LATINAE ratione haud parum voluptatis lectores et socios percepturos arbitramur.

Et quanquam —ut par est— ampliora pretia, necessitate compulsi, constituimus, id socios benigne accepturos speramus, et qui hactenus Commentarios nostros et assidue legebant et diligenter pretium solvebant, in posterum eadem ratione facturos.

Commentarios igitur ad omnes adhuc socios mittendos curavimus, qui rationes sumptuarias cum *Administratore* (Lauria, 5, *Barcelona*) componere velint, vehementer rogamus

Palaestra Adolescentium pro alumnis et ephebis *separatim* quoque edetur; qui hanc sibi mitti velint, *Administratorem* certiores faciant.

ALAUDA ET NOCTUA

*Vere novo surgens cum sol illuminat orbem,
ac levis aspirat zephyrus per gramina prati
dulcisono clarus quo murmure rivulus errat,
se umbrosi nemoris celans sub fronde virenti
auras alituum demulcet turba canora,
quos omnes rerum Domino benedicere credas.
Subtrahit at reliquis se cunctis una volucris,
quae laetos campos et prata requirit amoena,
concentuque facit caeli resonare serenum.
Haec folia et flores inter tranquilla sedere
rejecit, ac liquidum gaudet se tollere ad aër,
unde nemus vallemque et agrum et viridantia prata
despicere ex alto novit fruiturque beata.
Hanc omnes pueri norunt teneraeque puellae
certatim vatesque et «alaudam» nomine dicunt...
Ecce, audis? canit! et circumvolat altius usque
in gyrum..., nec eum jam visus percipit acer,
dum tamen auditur resonare per aethera cantus...
At jam cuncta silent... volucris qua sede quiescit?
Continuo redeuntis avis fremit aura volatu,
auditurque solo impressi gravis impetus ictus.
Hoc factum semel ad nidum quo noctua pullis
post noctem dulci somno devicta jacebat.
Excutitur, causamque notans, «te numina perdant!»
noctua clamat, «aves reliquas quae deseris una
ut solo cantu videaris ad aethera ferri».
Iratae lenis respondet alauda locuta:
«Iram pone, soror! spectacula vivida mundi
me juvat ex alto mirari... me juvat ipsi
AUCTORI propius pro cunctis reddere grates!»*

A. LUCESOLE

González Catán, in Argentina

Luctuosum sane cum amicis et sociis communicamus nuntium, Patrem Aloisium Lucesole, Sacerdotem eundemque Musarum eximium cultorem, pie occubuisse.

Non ita pridem ad Moderatorem scripserat facultatem carminum edendi, quae ipse exaraverat, faciens, hocque extremum mittebat quo suavissimus ejus animus supremo rerum «Auctori propius pro cunctis reddit grates».

In pace Christi quiescas, frater

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM

DE NOVIS VOCIBUS IN SERMONEM LATINUM INDUCENDIS

Josephus Holzer Josepho Mariae Mirio, amico dulcissimo, sal. plur.

Nova proponit vocabula Latina ad nostras voces: *esqui*, *esquiar*, *juego de bolos*, *zinc*, *ron*, *coñac*, *kirsck*, *ants*, *curasao*, *aguardiente*, *licores*, «*tafia*», «*sorbet*», *sidra*, *golf*, *hockey*, *tenis*.

Pervolutantem epistulas anno decurrente et acceptas et datas me haud parvus invasit terror, quod videbam me litteris prid. non. Jun. a te scriptis nondum respondisse. Meam mihi ignosce neglegentiam et officii intermissionem.

Disceptaveramus mutuo de quaestione, num **sciare**, **sciator**, **cetera** in consuetudinem noviciam admittenda essent. Avenarius¹ noster quidem eo inclinabat, ut jus quoddam istis vocibus concederet, quandoquidem illae voces in omnium gentium sunt usu. Proposuit praeterea —nescio an ejus conscientiam postmodum incesserit scrupulus quidam— *scindulas* aut *scandulas lapsiles*, vel etiam simpliciter *lapsilia*. *Scindulis* tamen, quippe quae plane certam atque fixam significationem habeant —utimur enim eis in tectis tegendis— *tabellas* aut *schidias* aut *soleas* substituerem. Equidem ipse ex *Etymologico Lexico Linguae Latinae*, quod ab Aloisio Walde prius concinnatum v. clmus. Hof-

1 Mense Martio a MCMLIV scripserat Avenarius: «*Ski*», vos *esqui*, Novergorum nomen, tractum a verbo Graeco —sic scriptum vidi— quod est *σχίζω*, latine *scindo*, *scidi*, *scid-sum* = *is-sum*, *schidas*, *schidulas* novimus. Exstant tabellae pedales, quibus faciles redduntur per nivium aequora lapsus, quibus multi hodie utuntur, in montanis maxime regionibus. Illas ergo tabellas pedales, mollientes viatorum per nives lapsus: «*scindulas lapsiles*», vel si quis mavolet: «*scandulas*» *lapsiles*, nominare institui. Non habeo quod causer, si quem audivero eas tabellas simpliciter «*lapsilia*» —tum denotare. Et quoniam vox jam internationalis facta est, non impediam, si quis mihi dicat se cum «*sciis*» nivea plana aut declivia petere, se hodie «*sciaturum*» ire..., vel cum pueri Monacenses «*sciatores*» vocant: *Brettshupfer*: hoc est, si eum qui «*salit*», «*salto-rem*», fecerimus: «*tabellatos saltos*».

XIV Kal. Jun. a. MCMLIV *Holzerius ad moderatorem*: «*Scia*, *sciare*, *sciatores*» —venio ad Avenarianam— non est, cur civitate donemus, quia magis Latina ad manus sint. «*Tabellatos ta-*

mann retractavit et hujus aevi indigentis aptavit, «*sclodiam*» protraxi auctorque eram ut *sclodia* pro «*esqui*» adhiberetur. Denique tu viri clari Ernout iudicium e Gallicae Recensionis Philologicae (*Revue de Philologiae*) fasc. I, qui a. 1953 editus est, attulisti. Ernutius quidem bene audit apud hujus aetatis philologos, sed interrogare libet, num nobis linguae Latinae usum restitutum cupientibus liceat Latinitatis veluti orbem artis circumscribere «*classicitatis*» finibus. Nonne hoc ipsum est suffocare ejus usum, praecludere auram? Cogita, quaeso, quot christianum aevum invexerit vocabula, quibus aegre caremus, quot medium aevum, quot haec ipsa fecerint tempora! Nonne tu ipse, amice, in *Novis et Veteribus* hujus rei luculentum exhibuisti exemplum? Nonne facem praetulisti tuo jure? Alii aliter de hoc negotio sentiant, mihi constat, si locum, quem habuit sermo Latinus, recepturus sit, angustis aureae aetatis terminis eam coartandam non esse, neque sic quicquam puto ejus majestati aut gravitati aut puritati detrahi. Neque tamen is sum, ut antiqua, media, novicia promiscue permiscenda esse statuam, quin immo, si antiqua suppetant, antiqua adhibentor! Sic etiam «*sclodiae*», quamvis sit vox Latinitatis infimae, jus dare volebam. Num vero in doctorum abitura sit commercium, jure quaeritur. Mihi autem de arte tabellis aut schidiis decurrendi nivalibus scripturo hac ipsa hieme erit occasio rem totam retractandi, praesertim cum tu ipse sis auctor, ut «*decursione nivali*», dictione rem satis dilucide significante, contenti simus. At Ernoutii ut philologi classici iudicium ad nostram rem non cadere opinor.

De *Societatis Latinae* fasciculis vobis mittendis cum ejusdem commentarii Moderatore egi eumque magnis oravi precibus, ut recto tramite sese conferret in tuam societatem. Quamobrem indicaveram tuum domicilium Barbastrense. Nescio tamen, numquid tempore interjecto evenerit. Hoc anno nihil foras datum est.

men saltore» recipere libet, verba variandi causa, sed pro «*saltoribus*» malim dici «*prolapsos* aut «*decursos*». Fortasse erit aptissimum nomen designando *esqui* «*sclodia*», f., quam ex Valdei lexico etymologico protraxi in lucem. Ille enim vir doctissimus «*sclodiam*» aut «*stludionem*» dicit esse idem, quod traha, sed addit ea voce primitus lignum significari ad prolabendum aptum (Cf. ejus lexici fasciculum XIX plagulas XXXVIII ad XXXXII complexum). Atque cum «*esqui*» lignum revera sit ad prolabendum habile, nonne in nostram rem inde licet deflectere illam vocem?...

Et rursus Moderator ad Holzertum: «*De sclodia et stludione* quae cl. v. ERNOUT in eo commentario *Revue de Philologie* habet, subjungam... Est igitur considerandum utrum eae voces in lexicum Latinum» denuo inducantur; neque *chionicus* admitterem, cum «*nivalis*» decursus, decursio (prolapsio) sufficiant.

Et haec sunt cl. v. Ernout verba: «*L'information de M. Hofmann est toujours aussi étendue, et tend à accueillir de plus en plus généreusement des mots dont on peut contester le caractère latin, notamment des transcriptions littérales du grec, des mots germaniques ou celtiques (stludio, [-cujus alia scribendi ratio est sclodia -] strava...)*. (ERNOUT, *Revue de Philologie*, 1953, I, p 100).

Consilium autem, quo PALAESTRAM LATINAM inde a calendis januariis tertio quoque mense edendam curabis, probo laudoque. Sic ejus conscripto-ribus locus dabitur in Latina spatia liberius excurrendi. Bonum factum!

Supra tecte significavi eadem te in vocabulis novandis interdum usum esse audacia qua memet ipse saepius implicavi. Quod iudicium cum profe-ram, nequaquam mihi mens est tuam imminuendi auctoritatem. Di meliora! Est res facta, quae observari potest apud omnes eos, qui hujus aetatis rebus imponere nomina apta gestiunt. Mihi accidit, accidit tibi. Loquimur, sermo-cinamur, subito apparet hujus aevi res. Haeremus incerti. Lexicon, quod consuli possit non est ad manus. Proterve novamus, necessitate coacti. At-que irridentibus Tullianis probe incurrimus in barbariem, interim vel super-bientes, quod tale quid commisimus. Melius est enim aliquid dixisse quam nihil. Sic sensim serpit disputatio ad negotium, de quo jam dudum tecum sermonem facere in animo habebam, sed defecit occasio. Auctor enim pro nostra amicitia amice tibi esse cupio, ut pauca verba insolenter novata aut ficta, quibus in libello *Nova et Vetera* locum dedisti, ad mea praecepta emen-des.

Me impulsore pro **bacillorum ludo** p. 7 ponas velim **conorum ludum**, aut **coniludium** *Juventute* et *Alma Roma* praeuntibus. Neque enim littera *K* in media voce tolerari potest. Ejusdem libelli, cujus usus profecto nunquam non satis magna laudatione commendari potest, p. 74 enumerasti liquores; **rhunum, cogniacum, kirschum, anisetum, curasaum**. Quae priusquam emendabo, discrimen inter **liquores** et **aquas ardentis** enucleare cupio.

Aquae ardentis sunt potiones vinolentae —vulgo alcoholicae dicuntur— quae fermentatione atque distillatione e variis diversisque fructibus confi-ciuntur. Ut exempla afferam, e solani tuberibus, e secali, e malis, e piris, e cerasis, e prunis domesticis et prunis cereis, e junipero, ceteris.

Quibus potibus, si addideris aromata volatiliaque olea admixto saccharo —sed non in omnibus usu venit—, habebis liquores odoratos. Itaque fit, ut *aquae ardentis* amaro sint sapore, *liquores odorati* dulce sapiant. Sequitur, ut *viris aquae ardentis* sint in deliciis, *feminae liquores odoratos* habeant potiores.

Ut singula nomina, quae audacius finxisse mihi videris, persequar, videamus, quid sibi unumquodque velit.

1) **rhunum**. Primo loco perspicere nequeo, cur linguae Hispanicae praeter modum indulgens istam vocem per *n* et non per *m* scripseris. «*Ron*» vel potius «*rum*» originem ducit a «*rumbullion*», qua voce incolae *insulae Barba-torum* utebantur. Postmodum «*rumbullion*» in «*rum*» a Britannis minutum hac brevior forma in omnium fere gentium introductum est sermone. Est autem potio e medulla arundinis aut cannae sacchariferae peculiari artificio stillatim expressa. Qui stillaticius sucus *Arcadio Avellano Americano* simpliciter *canneus*, *ei, m. est*, e. gr. *Insula Thesauraria*, p. 5, quo loco in adnotatione ima adicit: «*canneus, ei, m. est* potus e cannis sacchariferis destillatus, deliciae nauta-

rum». Idem auctor in *Vita et Discriminibus Robinsonis Crusoei*, vol. I, p. 170 scribit in adnotatione ad «*temetum*»: «*Canneus* (scilicet spiritus), qui «e cannis sacchariferis stillatur». Ipse reciperem temere «*canneum*», nisi Galli et Britanni duo potionum validissimarum ex arundinibus sacchari distinguerent genera: *tafia* et *rum*. «*Tafia*» conficitur arundinis saccharo (Germ.: *Rohrzucker*, Hisp. *azúcar de caña*) et quidem ejus mellaceis (-ium, *melaza*,¹) spuma, syrupoque tamquam elementis reiculis, «*rum*» autem e cannae ipsius sacchariferae tantummodo zemate atque medulla paratur fermentatione et distillatione. Qua de causa sucum e saccharo arundinis expressum nuncuparem potum sacchareum, eam autem potionem, quae ex arundine sacchari stillatur, sucum arundineum. Cum vero Varro apud Non. p. 551, 25 dicat: «*muriolam nominabant, quom ex uvis expressum erat passum et ad folliculos reiculos et vinacia adiciebant sapam*», *muriolam* ad *tafiam* denotandam puto deflecti et declinari posse, ut «*murtola saccharea*» in posterum sit nomen Latinum «*tafiae*». Ut rem omnem referam, neque «*cannamellis*», quod Meyerus-Luebkeus in *Etymologico Dictionario Romano* pro *caña de azúcar* praebet, obliviscendum est, ut «*ron*» etiam «*cannamellis sucus*» dici possit. Quae si respueris, accipe *tafiam* et *rhodium* perspicuitatis causa! *Rhodium* proposui sequens hujus aetatis Graecos, qui veluti medii sint inter Hisp. «*ron*» et Gall. «*rhum*» quam vocem utriusque nostrum vicini ut «*rom*» pronuntiant. Dicunt enim τὸ ῥώμιον neohellenes.

Ut quae disputatione effeci, breviter comprehendam, hac igitur nomina pro *rhomio* nacti sumus, quod in medicamentorum officinis vocantur «*spiritus sacchari* aut e *saccharo*»: a) *stillaticius sucus arundineus*; b) *stillaticius cannamellis sucus*; c) *canneus*; d) *rhodium*; e) *stillaticius sacchari sucus*.

2) **cogniacum**: Scribe *conacum*, quae melior mihi esse videtur scriptura. Cf. GRAESSE-BENEDECT, Berolini, 1909. *Conaceus*, vox ab Arcadio Avellano contra linguae Latinae rationem facta, eliminandus. Adjectiva in *-eus* ab urbium nominibus non formantur. Rectius Lurtius Monacensis praebuit: *aqua vitae conacensis*. Etiam *potio* aut *sucus conacensis* audientium animos non offendit. Sufficit metonymice *conacum*.

3) **Kirschum**: Nihil aliud est nisi vox Germanica, cui terminatio Latina agglutinata est. Germanice dicitur *Kirsch*, masc. generis aut *Kirschwasser* plenius, i e. «*cerasorum aqua*». Est aqua ardens e cerasis fermentatione et distillatione parata. Propono «*cerasinum*», *i*, aut «*aquam cerasorum*», seu *aquam cerasinam*.

4) **anisetum**: Opto, ut substituas *anisatum*, quod jam Plinius habet.

5) Restat, ut **curassaum** retractem. Quid est *curassaum*? —Potio alcoholica vel vinolenta e putaminibus fructus, qui *citrus aurantium Curassaviensis*

1 *Auctarium*: *melaza* —mellacium; *caña de azúcar* —arundo sacchari, arundo, canna, saccharifera, calamus sacchareus; *azúcar de caña* —saccharum arundinis.

ab herbariis appellatur. Nobis *aurantium Curassaviense* sufficit. Ita fit, ut de *liquore Curassaviensi* loqui possimus.

Quae si recte disputata sunt, illum locum, qui est in libello tuo *NOVA ET VETERA* pg. 74, hunc in modum emendare libet:

«ibi omnia veneunt crustula, salgama, stillatici suci aut aquae ardentes, liquores odorati: stillaticius sacchari sucus, conacum (aqua vitae conacensis), cerasinum (cerasorum aqua, aqua cerasina) liquor curassaviensis». — Arrident tibi, amice?

NOVA ET VETERA pg. 42 sub num. septimo narravisti: «*Malus oneratur malis, quae, cum maturitate mitigaverint, exquisitam siceram proment*», in vocem, quae est *sicera*, incidi primum ante hos XX annos, cum in quaestione versarer spinosa, quando latine loqui desitum, quando romanice loqui coeptum esset. Tum coepi dies et noctes versare vulgatam Bibliorum interpretationem, cum antea saepius Hebraicam et Graecam veritatem legissem. Illis igitur diebus memini vel hodie quoque *Lexicon Graecum* consultavisse nescius, quid sit τὸ σίκερα. Et quid inveni? Esse potum quendam inebriantem, ut *Cider*, *Sorbet*. Atque inde ex eo tempore coepi «*siceram*» adhibere ad *Sorbet* significandum; Hisp. *sidra*, Germ. *Cider* dixi *vinum de malis* quamquam Meyer-Luebke me docuerat ex *sicera* quodammodo prognata esse Gall. *Cidre* Germ. *Cider*, Hisp. *Sidra*, Ital. *Cidro*. Id qui fieri potuerit interrogas? Legeram in *Archaeologia Biblica*, quae latine a Fr. Xav. Kostleitner Ord. Praem. apud librariam academicam Wagnerianam Oeniponte MCMXVII foras edita est, quamque identidem adhibebam, ut mea biblica studia adjuvarem, p. 490 hanc Sti. Hieronymi rei dilucidationem: «*Sicera omnem significat potionem, quae inebriare potest et statum mentis evertere...*, sive illo frumento, sive hordeo, sive milio pomorumque suco et palmarum fructu et alio quolibet genere conficiatur» (*Comm. in Jes. 28, 7*). Ejusdem epist. 52 *ad Nepot.*: «*Sicera Hebraeo sermone omnis potio nuncupatur, quae inebriare potest, sive illa, quae frumento conficiatur sive pomorum sucu (!) aut cum favi decoquantur... aut palmarum fructus exprimuntur*». *Sicera* igitur omnia *vina artificialia* sive *facticia* comprehendit, i. e. *vina* ex granis hordei fermentatis (οἶνος κριθίνος), ex melle (οἶνομέλι), ex dactylis palmarum (οἶνος φοινικῆος) cocta vel destillata (?) ut *vino naturali* aut *vino vitis* opponatur. Cum vero non satis tum scirem quid *Sorbet* proprie esset atque ipse censerem media demum aetate per cruciatorum expeditiones ex orientalibus plagis distillationem ante ignotam in Europam invectam esse, ea voce simpliciter utebar, ut *Sorbet* significarem, plane negligens utrum jure necne.

Quae omnia in memoriam revocaveras cum legerem, quae tu, mi *Miri*, de *sicera illa exquisita* narravisti. Atque hoc loco interrogare libet, quid rebus ita comparatis faciam. Quaestionem, quatenus orientalibus gentibus distillatio temporibus antiquis nota fuerit, nunc temporis aggredi omitto, quia eam re ipsa dissolvere nequeo pro mea rei inscientia, at certe stillaticia suorum

expressio veteribus Romanis atque Graecis plane ignota erat. Si vero sincero animo locos Hieronymianos tecum consideraveris, fortasse eo tibi inclinavit animus ut *siceram accipias generalem appellationem variarum aquarum ardentium*, qui tamen interpretationi obstat virorum, qui romanicae philologiae operam navant, consensus dicentium significationem sicerae tempore progrediente in eam profecto, quam nunc apud romanicas nationes habet, vim coartatam esse. At certe *sicera* pro «*Sorbet*» excidit. Significet proinde *unum de malis vinum*. Quo sensu tu quoque (*Nova et Vetera*, p. 42) «*siceram*» adhibuisti et me hoc pacto spoliatum nomine ad «*Sorbet*» exprimendum apto probe ad incitas redigisti. Quod tu, mi Miri, quadamtenus in culpa es, expedias, oro, me in angustiis haerentem. Placetne tibi, mihi Plinio viam praemonstrante «*sorbitium nivatum*» aut «*gelatum*» pro «*Sorbet*» fingere? —Sed finem imponam his rebus, ne mea garrulitate veluti vinolenta ipse tu mihi fias madidus, etiam sine vino!

Posteaquam veluti in tribunali sedens de te cognovi, jam tempus est de meis faciendi iudicium. Vocabula enim ad rem pertinentia athleticam, quibus nuper in PALAESTRA LATINA usus eram, videbam a te non redamari. Qua de causa cogebam palinodiam canere et Graecis substituere Latina. Rem diu multumque meditatus haec nomina, quam celerrime potui, ne confusio, quam timebas, legentibus suboriretur commentus sum aptiora, ut puto, atque significantiora.

1) **Golf:** pilae clavarumque ad scrobiculos ludus, ad scrobiculos ludus; ad scrobiculos ludius, lusor; ad scrobiculos ludere; ad scrobiculos pilicrepus; ludi ad scrobiculos campus.

2) **Hockey:** pilae bacillorumque repandorum seu recurvatorum ludus, bacillorum recurvatorum ludus; bacillis repandis ac pila ludere; pila bacilloque repando ludens.

3) **Tennis:** taeniludium, taeniludius, taeniludia, f.; taeniludere; taeniludii campus; nisi forte ea, quae Baccianum lexicon exhibet, in usum convertamus: «*reticuli manubriati ludus*», cetera.

Haec hactenus! - Vale et me ama!

JOSEPHUS

Lebachii, V Kal. Nov. a. MCMLIV.

Josephus M.^a Mir, C. M. F., Josepho Holzer, suavissimo doctore, sal. pl.

Opportunum nactus tempus dandi ad te responsa, libenter id praestabam.

Ea in primis quae de nova Latinitate luculenter disseruisti laudo atque probo, cum universe nostrae prorsus sententiae convenient, quam in lucubratione cui index *Viget Latinitas* et ipse evolvi.

Deinde maxima tibi gratia quod me de audacia monitum voluisti, in quam facile, ut dicis, quis incidat si res nostras minutissimas bene explicatas legentibus cupiat. Ad quam tu ipse confugere videris cum *sclo diam* e vetustate excitas; quam tamen vocem ego non respueram, suasor tamen fueram ut quae clmus. vir Ernout in Recensione Philologica (*Revue de philologie*) habet, attente legeres. Illud nihilo minus est considerandum quod vox illa a *peregrinitate*, non vero a Latinitate procedit; qua motus ratione illam Ernoutius e lexico expungit. Ego vero neque respuo neque vitupero; res tamen —suadeo— consideranda.

Totam vero rem de nivalibus decursionibus cum evolves, praeter ea quae inter nos disputavimus, conferas, quaeso, PALAESTRAM LATINAM, n. 117, p. 84. et quae doctissimus vir Baccius in *Lexico* s. v. *slitta* habet, quocum in suam me sententiam incidisse video. (Memineris velim voces *patin*: «calceus labilis, nivalis —si in nive— et «pedirota» tua (PALAESTRA LATINA, n. 130, p. 112); *trineo*: «traha, nivitraha» (?); *esquí*: «schidia, tabella, solea nivalis, (labilis)», *esquiaje*: «decursio nivalis»).

Ceterum emendationes tuas sincero gratoque excipio animo; loquamur ergo deinceps de *conorum ludo*, de *zinco* (sis, de *cadmia* ut placet Baccio). Quod autem maxima me doctrina de variis *aquis ardentibus* et de *liquoribus* edocuisti est tibi habenda gratia. At nescis quo tunc eram implicatus nodo cum tot tantaque in Latinum sermonem convertenda erant de novis rebus vocabula eoque tempore nihil aliud habui, in arto positus, quam illa «internationalibus» vocibus, subnotatis tamen alio litterarum typo, exprimere.

Laudo pariter quod in thesaurum Latinitatis *muriolam* restitui voluisti, quam vocem neque Gaffiot neque alia lexica recipiunt et ipse improbaverat Forcellinius.

Sicera ergo erit et vinum de malis quodcumque et ipsa sicera, quam vos «Cider», nos vero *sidra* appellamus (?); *sorbitium* vero *nivatatum* vel *gelatum* pro «Sorbet» aptum censeo. Neque vero quae prius de re athletica protuleras vocabula improbo, sed fortasse clariora erunt haec Latina.

Haec raptim scribebam.

Te cum nobilissima uxore et filiis Deus ac Deipara Virgo supernis cumulent donis. Valet omnes.

Scr. Barbastro, pridie kal. Dec. anno MCMLIV.

Andreas Avenarius S. V. D. P. Josepho M. Mir, C. M. F. salutem

Romanorum secuti *Latinitatem* etiam PALAESTRAE quater in anno posthac aperitis fenestram, quae evolet in mundum. Consilium ego, tametsi commentarios menstruos et hodiernarum ephemeridum similiore anteferendos censeo, cogitans negotia vestra et mea ipsius ad scribendum impedimenta, temporis perpetuas brevitates et in plura dissipationes, non possum vituperare.

Subrisi scilicet «loquacitatem meam» et humanitatem.

Sed in prognostica pagina paulo ego vos rotundiores velim. Non dicerem «commentarius», sed commentarii, quoniam multiplex est in istis fasciculis colligenda materia... Me igitur auctore inscriptio vel titulus Palaestrae sic sonaret: PALAESTRA LATINA - trimestres litterarum Latinarum commentarii - prodeuntes Barbastro, provinciae Hispanicae Oscae - cura magistrorum scholarum Congregationis Claretianae - (Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V.).

Singuli fasciculi sexagenarum
quaternarum sunt paginarum.

Cum his litteris ad te dedi una interpretationem praeconii pastae dentifriciae, quod nuper in manus incidit meas. Cum legissem foliolum commendaticium ex chartaceo extractum cucullo, recordatus sum esse in proximo fasciculo *Latinitatis* commendationem peniculi dentalis «Gibbs Souple». Tum ita mecum: Et quid impedit, quominus in nostra PALAESTRA legatur dentariae pastae commendatio?

Addidi narratiunculam et daturus sum id genus plures, si sensero esse gratas.

Dedi longiusculam responsionem destinatam Xylandro Lebacensi. ¹

Et jam est in conspectu positus, cuius quondam mentionem tibi feci epistularum Latinarum acervus, vel ad me vel a me datarum, quas primo quoque tempore recognoscens excludentur fortasse, quae non dedeant PALAESTRAM.

Sentisne quam me industrium habeas adiutorem? Et utinam pares semper voluntati vires essent! Utinam hoc quantumcumque virium septuagenario mansit, omne deferre liceret in unam rem nostram Latinam!

Tu cura, ut quam commodissime valeas.

E vicinitate Bonnae, XII kal. dec. anno MCMLIV.

(1) Quae, deficiente spatio, insequenti fasc. edetur.

Josephus M. Mir, C. M. F., Andreae Avenario, S. V. D., sal. pl.

Tui memor in dies singulos calendarium inspiciebam animi dolore tactus cum viderem mensem novembrem in finem vergi quin neque locus neque satis opportunum daretur tempus ad te scribendi litteras. Sed scripta tua et epistula, quae animum tuum nostri studiosissimum ostendunt, cum ad manus habui facere non potui quin ad te raptim scriberem tibi que significarem omnia attento me perlegisse animo eaque probavisse.

Quod autem nuntius de novanda PALAESTRA LATINA te ad scribendum moverit, quodque gymnasiarcho nostro Lebacensi satis scite responderis, est mihi valde gratum.

Industrium profecto te sentio nostri adiutorem atque sagacem consilium!; ac bene fecisti quod errata illa et minus recte prolata digito monstrasti tuo ea qua olim prudentia et scientia magistri munere sedulo fueras functus.

Narratiunculas scribas, quaeso, quibus pueri et puellae delectantur, et juvenes majoresque natu, cum legunt, non sine tenui risu in sinu gaudent.

Epistulae, quas paras, suo aptae loco edi poterunt; et scias velim etiam nunc illas mecum retinere omnes quas ante annum ad me miseras.

Hisce litteris finem imponebam dum fausta quaeque, laeta, grata —quoad ferat aetas— tibi, natali adveniente tuo, ex imo pectore optabam precesque Deo et Cordi Immaculato Mariae fundebam.

Valetudinem tuam cura diligenter.

Barbastro, III Kal. Dec. a. MCMLIV.

PER ORBEM

Ex multis orbis terrarum nationibus voces proferuntur, quibus sollicitudo quaedam et studium in excolendis veteris antiquitatis linguis luculenter ostenditur. Quod et nobis, qui haec scribimus, et vobis, qui ea legetis, gratum et jucundum erit. Omnes enim in id contendimus, ut litterae, quae dicuntur «humaniores» quam superioribus temporibus in hominum institutione habuerunt praestantiam, eandem nunc retineant.

Sub hoc igitur indice, qui *Per Orbem* jam diu inscribitur, res, nuntii scripta quae illam sollicitudinem et studium patefaciant, presse lectoribus referemus.

I. **Acta diurna ABC.** — Ac primum scripta quae vir litteratus *Raimundus Pérez de Ayala* in actis diurnis ABC edidit ut linguam Latinam strenue defenderet animum mira voluptate perfuderunt; easque annotationes, quas in Recensione cui titulus *ARBOR* cl. vir *Alfonsus Candau* de litteris Latinis evulgavit non mediocri laetitia legimus. Docte enim ac sapienter idem scriptor arguit litterae «humaniores» minime id tantum intendere ut cognoscamus perfecte «praeterita et supina» atque majorum institutiones; quae si ediscere necesse est, in eo tamen primo discipulorum proposito nequaquam sistere possumus; sed in altiora eniti debemus: in totius nimirum hominis institutionem.

II. **Consociatio Hispanica studiis classicis provehendis**, de qua in *PALAESTRAM LATINA* sociis renuntiatum est (Cfr. *ANN. XXIV*, N. 147; p. 215), prospere procedit et in aliis quoque provinciis, in Salmanticensi et in Barcinonensi, novos sociorum coetus constituit atque sapientissimorum hominum frequentes consessus habuit, qui multum sane litterarum studio favent et incremento.

III. **Societas Orbiliana** (*The Orbilian Society*), quae *ACTA DIURNA* in Angliā evulgat, dono benigne ad nos misit *FASTOS* in annum Domini MCMLV. In eis dies Romanorum more computantur, et in superiore pagina scitissima pictura praecipuae populi Romani res gestae singulis mensibus enarrantur; et haec sunt uniuscujusque picturae titulus et argumentum:

JANUARIUS, Gajus Marius de Jugurtha triumphat; FEBRUARIUS, Marcus Antonius Cleopatrae primum occurrit; MARTIUS, Lucius Cornelius Sulla felix Athenas oppugnat; APRILIS, Marcus Porcius Cato Uticensis moritur; MAJUS, Germanicus Caesar ad saltum Teutoburgensem; JUNIUS, M. Agrippa cum Augusto carmen saeculare Horatii audit; JULIUS, Gajus Julius Caesar fit divus; AUGUSTUS, Octavianus Augustus ad aram pacis augustae; SEPTEMBER, Gnaeus Pompejus Magnus piratas superat; OCTOBER, Publius Vergilius Maro Aeneida recitat; NOVEMBER, Tiberius Caesar ad Senatum de Sejano scribit; DECEMBER, Cicero Lentulum, socium Catilinae, ad mortem ducit.

Pagellas quoque edidit quibus Romanorum vestes tribus picturis breviter exponit, de rebus Latinis nuntios refert, *PALAESTRAM* memorat; illis collegis maximam referimus gratiam.

IV. **In Italia**, praeter certamina hoc anno habita litterarum Latinarum studium impense promovent commentarii et ephemerides: *STUDI ROMANI*, *LATINITAS*, *RIVISTA DI FILOLOGIA*, *GYMNASIUM*, cet. Et in **Gallia** in primis consociationes *LES BELLES LETTRES* et *GUILLAUME BUDÉ*.

In Gallia quoque de litteris classicis quaestio studiose agitur, et *E. DE SAINT DENIS*, ea lucubratione «*Assisterons-nous à l'agonie des études latines?*» (*REVUE UNIVERSITAIRE* — mai-juin, 1953—) pro tuenda lingua Latina summa contentione laborat. Ac primum objectionem illam «*le latin est le privilège d'une bourgeoisie*» solvit; postea sermonem Latinum recentium scriptorum scriptis

ratum habet, atque eorum qui supremum in populo Russico regimen tenent, testimonium profert; nam et ii linguam Latinam existimant «*indispensable pour les spécialistes, dans les domaines les plus variés de la connaissance*». Tandem Latini sermonis apud omnes gentes communem usum proponit et defendit, ac de novandis vocibus paucis absolvit.

Denique lucubrationes maximi momenti, quae in commentariis prodierunt, subjungam:

GIL FERNÁNDEZ, L., *La enseñanza de la traducción del griego* («Estudios Clásicos», 13, Madrid)
RODRÍGUEZ J., Pbr., *El uso del diccionario en el estudio del latín* (Ib.).

J. TROUILLARD, *La Pureté chez les Grecs* («Bulletin de l'Association Guillaume Budé», 1954, 2, Paris).

M. TETE, *Le Totalitarisme de Platon* (Ib.).

J. DUMORTIER, *L'évocation des morts dans l'Odyssée* (Ib. n.º 3).

P. DEFOURNY, *Les fondaments de la religion d'après Cicéron* («Les Études Classiques», 4, 1954 Namur).

A. GUILLEMIN, *Sénèque directeur d'âmes, I. — Son activité pratique* («Revue des Études Latines», t. XXXI, 215, Paris).

J. COUSIN, *Suétone physiognomiste dans les vies des XII Césars* (Ib. t. XXXI, 234).

PIETRO MARAVIGNA, *Note critica sulla battaglia di Canne* («Studi Romani», A II, n.º 4-5 1954, Roma)

L. GUERCIO, *Itur ad astra* (Ib. n.º 4).

NICOLA TURCHI, *Studi sulla religione romana* (Ib. n.º 5)

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

COLLECTANEA

Humanissimus vir *Dr. Antonius Tovar*, Universitatis Salmanticensis Rector, in Recensione «*Revista de Educación*» orationem, quam in «*Consociatione Hispanica studiis classicis provehendis*» habuit, in lucem dedit. Quae quidem disputatio peropportuna est, et ardorem, studium, admirationem, quibus nostra aetate viri eruditi in litteras classicas incitantur, probato iudicio comprehendit ac suo prudenti consilio eos, qui in iis maxime versantur litteris, quasi moderatur ac regit. Cujus disputationis fragmenta suismet perlegere potes verbis: ¹

«Yo creo que habría que dejar tantas historias de la literatura para volver un poco a aquellas retóricas y poéticas que yo aún alcancé en mi bachillerato y que con sus ejemplos deliciosos y con sus trozos escozidos

constituían un mínimo de formación literaria suficiente para mantener la continuidad de la cultura occidental. Y eran para algunos el incentivo de una vocación (pág. 14).

«La esencia del humanismo se nos da en

(1) ANTONIO TOVAR — *Presente y futuro de los estudios clásicos*, conferencia en la Sociedad Española de Estudios Clásicos, pgs. de la «*Revista de Educación*», 7, Madrid, 1954.

la profunda sabiduría de una oda de Horacio o del breve escolar «Pro Archia» ciceroniano. Consiste en anteponer la cultura del espíritu a los bienes materiales, en preferir la persuasión a la violencia, en no creer que el hombre esté hecho sólo para mandar y gozar, en creer que tenemos obligaciones de piedad hacia la Divinidad, hacia nuestra patria y familia, y aun hacia los hombres en general. Seguramente por ese fondo último tan bien dispuesto frente a la religión es por lo que la Iglesia llegó tan pronto a hacer de la literatura antigua un aliado suyo, y pese a las polémicas y exageraciones, nunca ha proscrito de sus escuelas lo más pagano y lo más incierto de la literatura antigua en cuanto a los últimos destinos del hombre...

•Es posible que frente a esa marcha uni-

Ac praecipua magistrorum officia, curam certe linguae in posterorum animis defigere, et lectionem scriptorum classicorum perpetuam conservare summopere contendit.

Ceterum cl. Professor F. Rodríguez Adrados in ea lucubratione quam edidit «Puntos de vista sobre la enseñanza de las lenguas clásicas»¹ eadem fere commemorat. Ea enim, quam a majoribus accepimus in iis studiis excolendis impensam operam, apud nos multo tempore jacuit. Eosque, qui docent linguam Latinam et Graecam angustis grammaticae et vetustissimarum sententiarum finibus coartari, vehementer improbat. Ipse vero, ut Dr. Tovar, optimorum scriptorum lectionem suadet, quin leges grammaticarum neglegat.

«...hay que recordar que la enseñanza de las lenguas clásicas es inseparable de la de las culturas clásicas. Esta consideración debe tenerse en cuenta al traducir cualquier texto, procurando situarlo en el ambiente histórico que refleja. Se debe buscar la mayor variedad posible de autores y de temas,

versal de las cosas nosotros podamos muy poco. Pero nuestra obligación es luchar por salvar ese sentido humanístico, esa conciencia de la limitación humana —y del exceso que el hombre tiene sobre un animal—...

•Me encuentro, pues, en la obligación de explicar y defender al viejo humanismo, que en otras ocasiones he despreciado. Todo el sentido histórico moderno no llega a equiparar los clásicos con las otras culturas. Podrán restringirse los estudios de griego y de latín en el bachillerato de grandes países europeos, pero la verdad es que a estas lenguas les queda reservada siempre una misión de magisterio especial. Son las llaves maravillosas mediante las cuales ascendemos a las raíces de nuestra cultura» (pág. 22-23).

evitando el reducirse a la traducción de una serie de campañas militares que son siempre las mismas... Es necesario dar una idea de la literatura griega o latina, haciendo aprender a los alumnos un esquema general y deteniéndose más en algunos autores, acudiendo incluso a la lectura de traducciones...»

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

(1) FRANCISCO R. ADRADOS. — *Puntos de vista sobre la enseñanza de las Lenguas clásicas*, «Estudios Clásicos», t II, n.º 13, pg. 310-323



SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania et America: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. I – FASC. 1

M. MARTIO

A. MCMLV

IN ARENAM DESCENDITE!...

Pueri, adulescentes, picturam inspicite! Ante oculos habetis quae fuerint apud veteres Graecos et Romanos palaestrae et gymnasii exercitia. In iis enim lucta, cursu, hasta, disco, pugilatu, pila, saltu, trocho, ponderum jactatione ingenui ephebi gymnica[m] colebant artem, qua corpora exercebant et firmabant. Neque solum adversarium deprimere seu vincere studebant sed et corporis membra decenter movere apteque gestum in omnibus actionibus conformare conabantur ut quicquid in ea pugna fieret, idem etiam inspectantibus venustum esset ac pulchrum.

In novam eamque *litterariam palaestram* vos pariter, strenui adulescentes, convocamus et invitamus ut in hoc mentis certamen alacriter descendatis: habetis ludum litterarium, gymnasium ubi vires, quae litterariae dicuntur, amplissime exerceatis. Instrumenta scholastica ad manus sunt: diu mente agitate multumque pensate quae scribatis, errata ac minus recte prolata emendate ut tandem scriptiunculae vestrae in vulgus emitti possint. In ea lucta magister PALAESTRICUS aderit qui vos edocebit, qui vobiscum exercebitur, qui certantibus animos inciet, qui labentibus ac deficientibus opem feret, qui victores laude publica libentissime honestabit. Omnes, qui linguam Latinam amamus, summa perfusi laetitia spectatum veniemus.

Pugnate igitur, palaestritae, strenui estote, ne animo deficiatis!

Commilitones, qui vobiscum exercentur, inspicite; ne vos certantium numerus terreat; ne irae, ne invidiae tabe consumamini, neque solum vanae gloriolae honore sitis contenti; majora, altiora conspiciate praemia ad eaque totis viribus contendite.

Si strenui eritis luctatores. maximum, quod appetere potestis, praemium reportabitis, quod est animi recta conformatio et educatio, atque ad altiora in hominum societate munera instructi ac parati eritis, Deusque qui supremus est omnium rector et iudex certamini vestro praesens aderit ac lauro humanae ac divinae victoriae vos coronabit.

PALAESTRICUS

EPISTULAE MUTUO DANTUR INTER ALUMNOS

Cl. vir Sidney Morris, Prof., ad MODERATOREM scripserat:

Veniam mihi, quaeso, da quod tibi prorsus ignotus, a te auxilium peto. Amicus meus G. M. Lyne mihi auxilium quaerenti de te mentionem fecit.

Commercium epistularum latine scriptarum inter discipulos gentium diversarum administro pro SOCIETATE ORBILIANA. Habeo nunc complures discipulos Britannicos qui epistulas ad discipulos Hispanicos scribere velint. Possisne mihi invenire discipulos Hispanicos nonnullos, praesertim quattuordecim ad sedecim annos natos, qui huic commercio intersint?

Accipe, collega doctissime, meas sententias optimas.

Scribebam West Bromwich a. d. IX Kal. Oct. a. MCMLIV.

Cui primus respondet alumnus:

Accepimus litteras vestras atque «Acta Diurna», quae nobis fuerunt magno gaudio. Id vos optatis ut conferamus vobiscum sermonem per litteras atque mutuo res novas communicemus. Nos alumni Cursus VI Latinitatis studiosi sumus loquendi atque scribendi latine, atque colimus sermonem Latinum in quo scriptores classici reliquerunt posteris loquendi elegantiam et praecepta gravia: quorum memoria perpetuo permanebit.

Imprimis salutem optimis vestris magistris impertimus omnibusque alumnis. Cupimus ut «Acta Diurna», opuscula vestra, quae mittitis in Hispaniam bene accipiamus.

Valete. Salutatur vos pro reliquis alumnis

LAURENTIUS CAMA, C. M. P.

Barbastri, e Collegio Claretiano.

DIABOLUS ALEATOR

Miles quidam, mirum in modum studiosus aleae lusor, sacculum argenti secum semper ferebat; qui cum semper esset paratus ad ludendum cum iis qui sibi obviam irent summam rerum in aleam dabat. Votis suis fortuna quocumque tempore obsecundabat. Deus, ut sumeret poenas ex culpis in ludo a milite admissis, quodam die permisit ut diabolus ludendi causa ei obversaretur.

Ille domum ingressus, mensae accubuit et cum magnum pondus argenti apposuisset, tesseras projecit et pecuniam lucri fecit. De novo projecit et iterum pecuniam lucri fecit.

Miles infortunatus nihil argenti habebat, et maxime periratus: «Numquid, ergo, inquit, tu es diabolus?»

Neque memoriae proditum est quid responderit novissimus aleator; fama fert, ubi fuerit miles ille, compertum non esse.

JOSEPHUS COMAS, C. M. P.

CUCULLINA

Albente caelo, quodam die, mater misit Cucullinam ad aviam suam, quae morbo laborabat, ut panes dulciarios afferret.

«Ut splendet dies! Ut sol lucis plenus est! Caelum caeruleum!», inquit puella, et exiit domo.

In nemore lupus, vocem simulans, Cucullinae vententi occurrit.

—Salve, Cucullina!

—O bone, salve!

—Quo te rapis?

—Capesso aviae domum, cui mater iussit me ferre hos panes.

—Ubi tua avia habitat?

—In vicino pago

Tunc lupus insecutus est iter in domum. Cucullina insectabatur papilionibus. Lupus advenit, januam impulit; et avia:

—Quis ostium pulsat?, inquit.

—Neptis tua, Cucullina, quae dulciarios panes afferro.

Aperta est janua et lupus aviam necavit.
Cucullina pervenit, lupus in lecto erat,
aviam simulans. Puella impulit cubiculi por-
tam et lupus tenui voce respondit:
—Intra, intra, filia...

Et vociferans, se praecipitavit in pulchram
puellam. Et illam voravit.

JESUS MAESTRO, C. M. P.

Barbastrí, m. majo, a. MCMLIV.

Alius alumnus e Germania scribit:

Oro ut mittas ad me acta Latina PALAESTRA LATINA. Sum discipulus in gymnasio reali Augustiensi Vindelicorum. De vestra ephemeride in «Actis Diurnis» quae in lucem apud Britannos emittuntur, audivi. Libenter paratus sum ad discipulum, non discipulam, litteras dare. Vehementer cupio in antiquas linguas altius penetrare. Disco linguam Latinam et Graecam.

Si reppereris discipulum qui velit lingua Latina litteras ad me dare, fac me certiolem, quaeso, et locum, quo is habitat, scribe. Gratus ero tibi, nam Lingua Latina nunc parum colitur et minimo gaudet honore.

Ne omittam dicere, mitte «Palaestram Latinam» ad me *Hans Hafner*, Augsburg (13b) Maximilianstr. 29 - Germania.

Gratias agam tibi, pretium etiam pendam, nam nihil gratis est apud homines, excepta morte, et in hac morte stat vita.

Dabam Augustae Vindelicorum, Kalendis Decembribus.

Johanni Hafner Petrus Codina salutem

Tuis litteris, amice, et nos, omnes hujus Collegii alumni, jucundissime oblectati sumus. Te amicum voco, non quod adhuc noverim, sed quod scio nos esse collegas in disciplinis et in linguis Latina et Graeca ediscendis. Valde gaudeo te litterarum classicarum adeo studiosum esse.

Prope Oream, urbem Hispanicam et Provinciae caput, Barbastrí, Collegium sive Gymnasium nostrum est in quo duo et quadraginta alumni sumus ex duobus tantum superioribus cursibus. Prima inter omnes disciplinas est nobis rhetorica, seu ars bene loquendi. Hi duo cursus respondent quarto, quinto, sextoque humanitatum cursibus. In quarto cursu viginti septem alumni sunt, in quinto autem cursu quindecim. Ad sacerdotium et vitam religiosam candidati sumus omnes.

A magistris praeclarissimis edocemur, qui jam tibi per PALAESTRAM LATINAM noti erunt; alumni cursus quarti magistrum Latinitatis habemus R. d. Patrem Marianum Molina,

quinti vero Patrem Josephum Mir, nostri Commentarii Moderatorem.

Et nos interdum compositiones in PALAESTRAM mittimus; ad hanc quoque PALAESTRAM te invitamus.

Die XII Kalendas Januarias examina seu disciplinarum probationes incipiemus.

Post probationes adventient feriae, quae ob Domini Nativitatem quotannis nobis tribuuntur, et per quindecim dies, plus minus, erunt: ex a. d. IX Kalendas Januarias usque ad festum Epiphaniae seu Adorationis Magorum, ante diem VII Idus Januarias. His diebus cotidie vespere, parvam vigiliam habemus in qua repraesentationes scaenicas agimus, Divo Puero cantilenas dicamus et poemata declamamus. Sed post ferias iterum disciplinis et linguis operam dabimus.

Si vis ad me litteras dare, scribe, et ego perlibenter tuis rescribam quamprimum.

Vale.

Dabam Barbastrí, ante diem XVI Kalendas Januarias, anno MCMLIV.

Qui te non noverit, emat

Quondam erat agricola dives, prodigus (1), omnibus comis (2) sed admodum (3) ingenuus et simplex. Candidus ei nomen erat (4). Pulcherrimo asino insidens (5), olivetum (6) suum petere (7) assuescebat (8). Curabat autem quam minime (9) asinum defatigare (10). Itaque magna ex parte (11) pedibus iter faciebat asinum post se ducens (12) numella vinctum (13).



Quodam die callidi scholastici (14) eum ita incedentem (15) viderunt. Alienis cogitationibus (16) avocatus (17), ne scholasticos quidem (18) animadvertit (19).

Unus vero ex illis qui animi simplicitatem (20) agricolae cognitam habebat (21) incitavit (22) collegas (23) ut eum deriderent (24). Callidissimus scholasticorum sibi proposuit (25) asinum ei subripere (26). Ludum (27) omnes probarunt (28) atque plauserunt (29). Et omnium consensu (30), duo silentio (31) accesserunt numellamque (32) a capistro (33) solverunt (34). Unus scholasticorum asinum subduxit (35), alter vero, qui ceteris impudentia (36) praestabat (37), numellam manu tenens (38) post agricolam incessit (39).

Cum scholastici asinum celaverunt (40), qui ambulabat (41) post Candidum suaviter (42) pervellit numellam (43). Tunc agricola retro respexit (44) ac vidit stupens (45) scholasticum numella vinctum.

Qui ab imo pectore (46) suspirans (47):

—Ignosce, inquit (48), mihi damnum ingens (49) quod tibi invitus (50) intuli (51). Jurgiosus (52) scholasticus eram, ludo deditus, ignavus (53). In dies (54) ego minus studebam (55). Ira succensus (56) pater meus mihi quondam (57) male dixit dicens:

—Quoniam (58) asinus esse contendis (59), utinam (60) te re vera (61) in asinum convertas! Quod ubi (62) pater dixit, quadrupedem (63) me sensi (64), longa cauda (65) longisque auribus (66) praeditum (67). Hoc asini more (68) quattuor annos vixi (69), dum (70) pater suae severitatis (71) poenitens, Deum pro me obsecravit (72) atque figuram naturamque (73) meam humanam nuper (74) recuperavi (75).

Tantam rei novitatem (76) admirans (77), misericordia captus (78), dimisit (79) scholasticum ut (80) in conspectum patris (81) veniret (82) ejusque animum (83) sibi reconciliaret (84).

Scholasticus lacrimans (85) agricolae salutem dixit (86) et quam citissime (87) discessit (88). Contentus (89) sua erga (90) adolescentem miserum

(91) pietate (92), domum sine asino (93) revertit (94), sed nemini (95) narra-
vit quod sibi contigerat (96); nam scholasticus rogaverat ut omnia secreto
haberet (97). Aliter, (98) denuo (99) sese converteret (100) in asinum.

Aliquo post tempore agricola mundinas (101) proximi vici (102) petivit
ut (103) alium asinum emeret (104). Nundinator quidam (105) asinum ei
obtulit (106). Sed Candidus mirum in modum (107) stupuit, cum sibi vende-
re (108) contenderet nundinator asinum ipsum qui fuerat in sua potestate
(109) et in scholasticum se converterat (110).

Tunc secum agricola:

—Profecto (111), inquit, ille verbero (112) ad praeterita facinora (113)
revertit eique pater iterum male dixit. Ecce igitur secundo asinus (114).

Mox (115) ad animal accedens (116) et ad aurem (117) susurrans (118),
haec verba fecit:


—«Qui te non noverit, emat!

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

NOTAE

(1) generoso, dadivoso (2) afable con todo
el mundo. (3) sobre manera. (4) se llamaba.
(5) montado en (6) olivar. (7) dirigirse. (8)
acostumbraba. (9) lo menos posible (10) fati-
gar. (11) en gran parte. (12) conduciendo (13)
atado con un ronzal. (14) unos pícaros estu-
diantes (15) caminando de este modo. (16) en
ajenos pensamientos. (17) distraído. (18) ni
siquiera. (19) reparó en. (20) simplicidad de
ánimo. (21) conocía bien a fondo. (22) animó.
(23) a sus compañeros. (24) a que le hicieran
una burla. (25) se propuso. (26) quitarle furti-
vamente. (27) burla, broma. (28) aprobaron.
(29) aplaudieron. (30) de acuerdo con todos.
(31) en silencio (32) ronzal [de cuero] (33) ca-
bezada, jáquima. (34) desataron. (35) retiró a
escondidas. (36) desvergüenza. (37) aventaba.
(38) agarrando. (39) se echó a andar. (40) es-
condieron. (41) andaba. (42) con suavidad.
(43) tira del ronzal. (44) miró hacia atrás. (45)
asombrado. (46) lo más hondo del pecho. (47)
dando un suspiro. (48) perdona, dijo. (49) da-
ño enorme. (50) a pesar mío. (51) he acarrea-
do. (52) pendenciero. (53) dado al juego, pe-
rezoso. (54) cada día. (55) estudiaba menos.
(56) encendido en ira. (57) un día. (58) puesto
que. (59) te empeñas en. (60) ojalá. (61) en

realidad. (62) luego que. (63) cuadrúpedo. (64)
me ví. (65) larga cola. (66) largas orejas. (67)
dotado. (68) género de vida asnal. (69) he vi-
vido. (70) hasta que. (71) arrepintiéndose de
su rigor. (72) hizo oración a Dios por mí. (73)
naturaleza. (74) poco ha, recientemente. (75)
he recobrado. (76) lo peregrino del caso. (77)
admirando. (78) movido a compasión. (79) de-
jó libre. (80) para que (81) [en presencia de] a
su padre. (82) se presentara. (83) su voluntad.
(84) se ganara. (85) llorando (86) se despidió.
(87) más que aprisa. (88) se largó. (89) satis-
fecho. (90) para con (91) joven desventurado
(92) obra de caridad. (93) sin el asno. (94) vol-
vió. (95) a nadie. (96) le había sucedido. (97)
lo guardara todo en secreto. (98) de otra suer-
te. (99) de nuevo. (100) se convertiría. (101) a
las ferias. (102) de la población vecina. (103)
para. (104) comprar. (105) un feriante. (106)
le ofreció. (107) sobre manera. (108) vender.
(109) que había estado en su poder. (110) se
había convertido. (111) seguramente que. (112)
aquel bribón (113) pasadas travesuras. (114)
por segunda vez asno. (115) luego. (116) acér-
cándose al animal. (117) a la oreja. (118) ha-
blándole en voz baja.





5

CORIOLANUS RETRO AB URBE CASTRA MOVIT



6

MILITES RECEDUNT

FIDEM FEFELLIT!
PRODITOR EST!

YOLSCORUM GENTEM PECUNIA VENDIDIT!

MAGMA IN EXERCITU SEDITIO COORITUR.



CENTURIO, QUI REM MALE TULERAT, GLADIO CORIOLANUM - UT FERUNT - CONFODIT.

7



8

ROMAM, MATER, SERVASTI, TUQUE NUNC AMORE PEREO

SVO PERFUSUS SANGUINE CORIOLANUS ANIMAM EFFLAT

PARENTES, PUERI, SEMPER AMORE ET OBOEDIENTIA PROSEQUIMINI.

J. Corneille



ABACUS VENEVICUS

(Olegarius Herreros. C. M. F.)

1	2	3	4	5	6	7	8
9	10	11	12	13	14	15	16
17	18	19	20	21	22	23	
24	25	26	27	28	29	30	31
32	33	34	35	36	37	38	39
40	41	42	43	44	45	46	47

Reboas	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
	29	33	9	17	32	34	24	42	31	27
Miseria	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
	5	35	42	4	39	11	21	—	—	
Censeam	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
	1	46	12	17	6	15	7	—	—	
Quibusdam ex lignis	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
	3	24	25	22	20	46	26	—	—	
Obtundo	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
	40	2	16	10	37	13	—	—	—	
Romanorum deus	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
	23	19	44	25	47	—	—	—	—	
Exoptas	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
	43	30	8	18	—	—	—	—	—	
Ingreditor	—	—	—	—	—	—	—	—	—	
	45	36	38	41	—	—	—	—	—	

ANAGRAMMATA LATINA

- Albertus: *ter - albus*
- Antonius: *non - justa; annos - tui*
- Atlas: *salta*
- Adversitas: *sat - da - vires; at - das - vires*
- Adolescentia: *sola - decentia*
- Aesopus: *Aes - opus*

LECTORIBUS CONJICIENDUM

Littera me pavit, nec quid sit littera novi.
In libris vixi, nec sum studiosior inde,
Exedi musas, nec adhuc tamen ipsa profeci-

PAEDAGOGUS

Puer negligens testimonium malum
attulit domum.

Pater ejus exclamat: —Heu...! Ergo
denuo es improbatus?

—Ego quidem non sum in culpa, cum
tot magistri fuerint contra unum discipulum.

IN THEATRO




(actores inter se colloquuntur)

—Neque viginti quidem sessores ad-
sunt. Eis pecuniam reddi praestat.

—Nullo modo fieri potest.

—Quare?

Quia viginti tessera gratuita sunt
Ingressi.



(D. Rutz, C. M. F. - Celsonae)

PUERI, QUAE IN PICTURIS VIDETIS, IN VERBA CONVERTITE

SOCIIS ET ALUMNIS RESPONSA DANTUR

Cl. v. Prof. LY... *Brackpool*. — Quod voluisti de PALAESTRA LATINA certiores facere socios vestros est tibi maxima gratia. Libenter et nos de vestris «Actis diurnis» cum amicis loquimur. Alumnorum epistulae cl. v. Sidney placuerunt?

Cl. f. Mag. BÉD... *Insulis (Lille)*. — Arrident tibi pagellae «Palaestrae Adulescentium»? Nonne aptae erunt ad puellas et pueros erudiendos tibi que etiam adjumento erunt?

A. Ros... *Montblanch*. — Novum te socium et lectorem salutamus. Spero te inter Seminarii alumnos PALAESTRAM propagaturum.

P. F. FERB... *Bergen op Zoom*. — Nuntios de PALAESTRA LATINA in Batavam gentem advenisse maxime gaudemus. Nonne pueri et adulescentes Batavi in excolenda lingua Latina facile nobiscum consociabuntur?

P. M. RAM... *Albasiti*. — Inscriptionem Latinam, quam exarasti, testimonium novi erecti Seminarii, ut edamus, fac mittas. — Exquisieras quid sentirem de illo qui prostat titulo in calendariis academicis aut in eo qui dicitur «Ordo divini Officii sacrique peragendi», in quibus saepe legitur «Ordo, calendarium pro anno 1955»? Si locutionem nostram ad optimorum scriptorum normam componere volumus, praepositio *pro* est reicienda ut tempus futurum significet; in lexicis et scriptoribus grammaticis hujus praepositionis sensus definitos invenies; hunc tamen certo desiderabis. Dic ergo «Ordo, calendarium in annum 1955» ut, qui politioem usurpant Latinitatem, scribunt.

O. S. B. *Monteserrato*. — Omnia vestra — et in primis ea, qua inter nos copulamur, amicitia —, suavissima, gratissima. Sic pergite rem nostram amare ac vestra doctrina et scientia honestare.

Fr. J. MEL... *Celsoanae*. — Joca, aenigmata, abacos illos veneficos totque alia quae mittitis amplissime probamus. Sic currite, optimi palaestritae.

Clmo. v. ERN... *Lutetiae Parisiorum*. Nescis quantam tibi debeamus gratiam quod ad litteras nostras responsum dare voluisti. Neque illam quaestionem parvi momenti arbitramur, de qua si sententiam tuam «publice» emiseris, quae adhuc insunt animis dubitationes procul dubio de medio auferentur.

A. M. *San Vicente dels Horts*. — Illa carminis in B. Virginem Assumptam strophe aliqua laborat obscuritate; sic strophem vertimus: «La carne, dócil sirvienta de la mente rectora (Dios), no sufre corromperse; sino que sin (esperar) el último fin, compañera del espíritu, se eleva a los cielos».

P. C. E. M. *Matriti*. — Quam diu exspectasti PALAESTRAM tandem prodiit, et speramus illam nova, qua induitur, veste oculos et animum alumnorum et magistrorum sibi conciliaturam.

J. RUNK. *Habanae*. — Maximum, quo fervere, studium in litteras Latinas propagandas est omni laude dignum, tibi que consentio in ea sententia «ingenuam humanitatem, quae in antiquis Graecorum et Romanorum litteris non innitatur dari non posse». Illam igitur liberalem humanitatem impense apud cives tuos evulga.

BIBLIOGRAPHIA

J. MAROUZEAU. — *L'ordre des mots en latin*. (volumen complémentaire avec exercices d'application), Les Belles Lettres, Paris, 1953.

Ad manus librum habeo eximium, quem te, quicumque litteras amas Latinas, legere invito. Ipsum opus scriptoris nomen commendat, qui unus e multis labore adsiduo, mente sagaci, firmo studio triginta annos operam ad tantam rem contulit.

Liber complementum est, seu compendium aliorum, quos antea edidit, librorum: «Les groupes nominaux», «Le verbe», «Les articulations de l'énoncé», sed fere completus. Scriptoribus atque Latinarum litterarum studiosis perutilis, aut potius dicam, necessarius, exemplis abundans, stilo brevis ac perpolitus, editione typographica nitidus ac pulcher. Distincte notantur vocum collocationes, sive adjectivorum, sive substantivorum, sive verborum... Cl. v. Marouzeau, instar apud Matinae, per laborem plurimum opus attigit perfectum; opus, inquam, vere elaboratum in quo non nulla clarius explicantur quae vel ambigue vel perperam ab aliis traduntur. Nostra erat sententia per solam lectionem classicorum scriptorum pervenire posse ad bene latine scribendi potestatem. At cl. v. Marouzeau cum legimus, hunc fere exclusimus sensum, nam ita verba seu voces Latinas clare, nitide, distincteque ordinat atque collocat ut qui latine scribere conantur uno tantum indigeant labore: quae liber, scilicet docet fideliter transcribere. Exercitiis selectis cum appendice varia librorum opus completur.

JOS. ALOISIUS BRASERO, C. M. P.

I. ERRANDONEA, S. J. — *Diccionario del mundo clásico*. (Redactado por Catedráticos y Profesores de Arqueología y Arte Clásico, Filología griega y latina...) Editorial Labor, Barcelona, 1954

Lectoribus Hispanicis praestantissimum opus, jam dudum expectatum, editum nuntiamus, lexicon totius classicae humanitatis et cultus officina Libraria LABOR opus novum, quamquam arduum sane, idque aptum eruditioni ac doctrinae Hispanorum nostrae aetatis conficere est aggressa. Quod opus non sine magno labore ac temporis spatio perfecit.

Clarus P. I. Errandonea, qui scriptorum coetus operi edendo praefuit, in prologo quid sibi quaerant scriptores, quidque opus contineat, ostendit. Idque propositum est, ut ex libri indice inferatur, thesaurum totius classicae humanitatis — et Graecorum et Romanorum — omni ex parte inquirere ejusdemque in christianam societatem momentum et auctoritatem deducere. Neque vero litteras tantum neque res ad historiam vel philosophiam pertinentes complectitur, sed etiam quaecumque veteres vel animo sentiebant, vel mente concipiebant vel quibus rationem vivendi instituebant, uno verbo, omnia quae lector litterarum antiquarum studiosus vel veterum morum scire appetit.

Ita tamen haec omnia exponit ut minime rem totam in singulis articulis exhaustire conetur. Maluit enim pauca de pluribus quam plura de paucis narrare. Id etiam pro viribus curavit, nova dicere, praecipue in his quae ad Hispanicam geographiam, Hispanis et exteris fortasse minus notam, spectant.

Opus non his praebetur qui rerum antiquarum peritissimi sunt. Quod si habuissent propositum, et articulos ampliores conficere et uberiores librorum praecipuorum fontes adhibere debuissent; nunc vero et articuli breves sunt et fontes non nisi raro apponuntur. Liber autem lectori destinatur in his rebus mediocriter versato, qui notiones adipisci cupit, vel jam nota definire, vel opinionem illustrare de ratione vivendi cogitandique veterum Graecorum et Romanorum. Quem finem ante oculos

habens, Moderator ordinem rerum aptiore ac simpliciore quo potuit modo instituit, et arduam sane difficultatem vocabula Graeca et Latina transcribendi Hispanorum linguae accommodanda, summa scientia et prudentia exsolvit, viam faciliorem et clariorem adhibendo.

En amplissimum vere consilium quod P. Errandonea exponit, quodque aliis adjuvantibus sociis, sat plene est executus. Noli tamen mirari si quaedam —quamvis plurima sint optima, manu peritissima conscripta— vulgaria atque communia, aut fortasse manca videas in quibus integram illam definitamque notionem quam forsitan quaeras non invenias interdum et ampliores operum fontes, saltem de rebus majoris momenti, desideres.

Totius vero operis adspectus certe splendidus est ac Librariae dignus. Omnia in duobus solidis crassisque voluminibus effuse ornatis —quarum pagellae 2720 sunt, picturae 1189, 32 imagines, 6 chartae geographicae, appendices de re chronologica et historica— continentur.

Gratissimum sane quod Libraria LABOR, cl. Moderator, illustris scriptorum coetus, opus utile, novum, proposito suo aptum confecerint. Utinam in posterum iterum atque iterum edatur, naevlis expurgetur, compleatur, perficiatur, ut opus litterarum Hispanicarum verum probatumque sit decus et ornamentum!

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

A. MAZZARINO. — *Introduzione al «De Agri Cultura» di Catone*, Atlante, Roma, 1952

Quas habuit cl. hujus libri scriptor lectiones in Messinensi Universitate anno academico 1951-52 hoc opere statim colligendas curavit, quo non tantum de alumnis sed et de viris doctis bene meritus est

Primo duas exponit nostrae aetatis opiniones, illas sane quarum primam a Keil ortam Weise et Leo compleverunt ac vindicarunt, alteram vero Klotz, Hauber, Höler effinxerunt, ex quibus sententia scholae Vindobonensis vulgo appellatur. Postea auctor suam explicat sententiam.

Liber «De Agri Cultura» neque collectio dicenda est commentariorum ad usum privatum («Hausbücher, Notizbuch» ut volunt auctores Vindobonenses), nec opus perfectum ad unguem ab ipso Catone exaratum (opus «fertig» ut Keil et Leo opinantur) quod postea editores et lectores variarunt et non semel auxerunt. Neutra enim sententia sustineri potest, (cap. III et IV initio), aliqua tamen vera utraque continet, cum et liber «De Agri Cultura» commentaria privata non excludat et finis litterarius Catonis indicet, quem tamen assequi omnino non potuit. Opus imperfectum lectores ad usum proprium auxerunt (c. IV) Ita satis explicantur difficultates et sibi repugnantia.

Librum legentes cl. Professoris aequum animum, ingenium, erga Catonem amorem statim deprehendent. Si quae in libro repetitiones sint, claritatem et scriptoris auctoritatem minime offendunt.

A. PALAZZESCHI. — *Roma* (romanzo), Vellecchi editore, Firenze, 1953.

Humanissimo lectori hoc opus editum nuntiamus non ignobilis certe scriptoris quo Roma nobis depingitur hodierna dum Romani ipsi describuntur.

Humanitatem sane redolet hujus fabulae commenticiae propositum, executio, descriptio, cujus sermo et robore et concinnitate plenus apparet.

Quaedam vero forsitan durius et clarius, quam oportet, dicuntur. Quare in libro legendo prudentia est suadenda.

F. ALBA, C. M. F.

J. BASTARDAS PARERA. — *Particularidades sintácticas del latín medieval*. Consejo Superior de Investigaciones científicas. Escuela de Filología. Barcelona-Madrid, 1953.

Hoc volumen concinna est monographia de usu linguae Latinae in Charulariis Hispanicis, a saeculo VIII ad XI: opus subtilis plane investigationis a claro viro J. Bastardas, in Universitate Barcinonensi Professore, exaratum. Hujus modi vero documenta magnae sunt utilitatis commodique illis praesertim, qui penitus studio Latinitatis incumbere cupiunt.

Idque non tantum, quod ea documenta nos edocent plurimos archaismos, qui originem a saeculo VI et VII sumunt, cum irrepere in res litterarias linguae Romanicae coeperunt; verum etiam quod in eisdem constructiones quasdam grammaticas detegere possumus, quae varitis illorum temporum linguis, nunc a sapientibus enucleandis, respondent. Qua quidem ratione et Latinam et vernaculam eorum saeculorum linguam ad nos usque data opera referunt.

Clarus scriptor illis prae primis in elucubratione studet, quae ad syntaxim referuntur, quin potiora tamen de morphologia aevi mediæ Latina praetermittat. Totum opus magnam doctrinam prae se fert; virumque acri ingenio ostendit.

Praefatio vero libri (pp. V-VIII) a praestanti philologo Dag Norberg, de re peritissimo, scite contegitur. Bibliographia cum selecta tum abundans adhibetur (pp. XVIII-XXIII). In introductione (pp. XXV-XXXI) diserte de argumenti proposito ac ratione clarus scriptor agit. Qui brevem de textibus notitiam profert (pp. XXXIII-XXXIX).

En tibi quasi operis per capita conspectum: Concordantia (pp. 3-12); representatio casuum morphologica (pp. 13-32); syntaxis nominis (pp. 33-61); syntaxis pronomini (pp. 63-79); praepositiones (pp. 81-105); vox activa (109-120); vox media (pp. 121-125); vox passi-

va (127-137); tempora (pp. 139-152); subiectivus (pp. 153-157); periphrases verbales (pp. 159-163); formae verbi nominales (pp. 165-177); conjunctiones (pp. 179-196). Finitur tandem liber vocabulorum indice (pp. 197-200).

E. FUETER. — *Studium generale*. Interpretación, necesidad, evolución. Páginas de la Revista de Educación. Madrid, 1953.

In opusculo hoc agitur de brevi concinnaque monographia a claro Professore E. Fueter exarata, de invitatione Associationis Professorum Universitatis Bernensis, occasione ejusdem coetus annui, anno 1952 habiti. Quae primo vulgabatur in linguam nostram Hispanicam conversa in fasciculis 5, 6, 7 commentarii cui nomen «Revista de Educación».

Atque de illa scriptor saepe numero agitata quaestione disserit, quae ubique in provincia scientiae artisque viget, nempe ea quam nos vulgo dicimus «especialización en los estudios». Quod quidem argumentum, ex clari Professoris sententia, omnium omnino fuit temporum ex quo in orbe terrarum Universitates existisse constat.

Scita de re introductio praebet (pp. 7-14). Tum agitur de evolutione hujus rei in civitatibus Americae Foederatis (pp. 15-34). Aliud vero caput est; «Studium generale» in Germania (pp. 35-45). Aliud est: «Année propédeutique» in Gallia (pp. 47-48). Quaedam de evolutione in exteris gentibus atque in Helvetia consequuntur (pp. 49-53). Tandem tota clauditur elucubratio paucis admonitis, rerum synthesi, selectione bibliographica (pp. 55-71).

P. FLOTTES. — *Leconte de Lisle, L'Homme et l'oeuvre*. Collection Connaissance des Lettres, 160 p., Hatier-Bolvin, 1954.

Non nulli classici textus tanquam speciem praeclari viri Leconte de Lisle,

ut poetae «Impassibilis» — cum *Meridiei* tum *Elephantorum* — defixerunt.

Poëtae vero ingenium majore pollet virtute, quam ut feroces nobis viciniores tantum reddat bestias et longinquas hominum terras. Ejus enim versus cecidere — miro quodam nitore marmoris vel aëris supra quae quisquam sentiat flammam emergere —, et passionum tumultum, et aeternum cordis amorem, et perditorum desiderium paradisorum, et defectiones abdicationesque superbiae, et secretam consuetudinem quae diversas vitae universalis formas conjungit, et virium instinctus constantiam sub falsarum humanitatum larvam. Quantum profecto rei apud hunc saeculorum praeteritorum evocatore! Eum quidem archaeologum vel pictorem ipse haberes, ille cum sit inter poëtas lyricos excruciatissimus et, saepe numero, inter fanaticos audacissimus.

Il plane sunt adspectus, etsi aliquando incogniti, vitae et operis quae clarus vir M. P. Flottes, professor Facultatis Litterarum Bordeensis nobis restituit, in libello stilli pressi et disquisitionis religiosae: libellus qui ex hodiernis inventis psychoanalysis methodum propriae interpretationis interdum mutatur.

WALTHER VON WARTBURG. — *La fragmentación lingüística de la Romania* Traducción del alemán por Manuel Muñoz Cortes. Biblioteca Románica Hispánica. Gredos. Madrid, 1952.

Ex ipsa praeclari scriptoris voce, volumen hoc haberi potest tanquam studium praeivum «Grammaticae prae-romanicae» vel, si mavis, «historiae linguisticae protoromanicae»: quae quidem elucubrationes maxime in scientia arteque philologica desiderantur.

Opus maximi certe laboris in historiae atque geographiae investigatione. Non nullae autem de linguis quaestiones quae ibi continentur, tenuiores re ipsa quaestiones partiaris, quod ipse fatetur

scriptor, requirerent; quas, si quid est iudicii, in aliis editionibus facile lectori offeret delibandas.

Argumentum cum amplissimum tum, in hodiernae linguisticae Romanicae provincia, arduum; sed magni omnino momenti atque ponderis. Il autem libri quasi termini praecipui: Introductio (pp. 13-16), in qua propositum auctor lectori disserte explicare festinat. Differentiae regionales antiquae in provincia linguistica Latina (pp. 17-33). Divisio unitatis Latinae (pp. 34-84). Vestigia invasionis Germanicae (pp. 85-186). Denique auctoris conclusiones (pp. 187-191), quae rem totam velut in synthesisim atque rationem adigunt.

Ex toto vero operis tenore illud consequitur: formationem «spatiorum» linguisticorum apparere ut longinqua atque complexi processus evolutionisque summam. Duodeviginti chartae geographicae, eaeque modo ingenioso atque subtili confectae, haec «spatia» linguistica notiora quasi oculis offerre intendunt.

Atque commodum sane «Bibliotheca Romanica Hispanica» nostratibus alumnis humaniorum litterarum fecit cum hoc opus in linguam Hispanicam convertendum curavit.

GILI GAYA. — *Elementos de fonética general*, 2.^a ed. ampliada. Biblioteca Románica Hispánica. Editorial Gredos. Madrid, 1953.

Opus hoc certe opportunum, idque percommodum, nostratibus bonarum litterarum discipulis. Etenim experientia constat linguisticae professores in Universitatibus multotiens praepediri in lectionibus tradendis ob alumnorum inopia, certo certius plangenda praeparationis in scientia phonetica. Quocirca facile evenit, ut progressus linguae vel linguarum complexionis menti alumnorum appareat regularum complexus, quas memoriae mandare eaque retinere debeant, sine ullo quasi rei adminiculo

propriae observationis, quod illas in unum redigat ad cognitionem vere scientificam efficiendam.

Jam vero clarus scriptor S. G. Gaya, amplissime de litteris bene meritus, hujus ope libelli hanc nostratium inopiam mentis corrigere intendit. Ejus modi igitur propositum est lectoribus praebere notitiam summam atque accuratam methodorum, argumenti et quaestionum scientiae artisque phoneticae nostrorum dierum. Qua quidem re et stimulos addet studio totius scientiae linguisticae et philologicae.

Paucis, hisque admodum dilucidis, capitibus clarus scriptor de his omnibus disserit argumentis, quae rem impraesentiarum attingunt: Notiones acusticae pp. 13-24. Intentio vocis et accentus pp. 25-40. Quantitas pp. 41-52. Tonus pp. 53-56. Linguae physiologia pp. 67-84. Phonetica et phonologia pp. 85-95. Sylaba pp. 96-108. Vocalla pp. 109-126. Consonantes occlusivae pp. 127-138. Consonantes fricativae pp. 139-149. Consonantes laterales, vibrantes «fricatae» pp. 150-161. Systema articulationum pp. 162-172. Causae phoneticae signorum linguisticorum pp. 173-184. Phonetica evolutiva pp. 185-199. Scitus adest index rerum pp. 201-204, qui studium multo facilius alumnis reddere potest. Atque omnino aestimanda atque ponderanda pars libri graphica, quae res vividius exprimit. Valde itaque hunc librum lectoribus commendamus, qui quidem auctoris operae plaudere minime ambigent.

S. MARINÉ BIGORRA. — *Inscripciones Hispanas en verso*. Consejo Superior de Investigaciones Científicas. Madrid, 1952.

Hujus modi sciti voluminis propositum est non nullas ante oculos lectorum inscriptiones Latinas Hispanicas versu exaratas ponere, quarum quidem studio mutationes quantitatis et metricae, quae sibi in dies succedebant per dictionem Hispanicam, detegere possint.

Quocirca argumentum — quod caput

et summa horum studiorum—, hoc est: Origo artis metricae, quae vocabulorum accentu innitur. Ad totum vero argumentum penitus complectendum, de aliis quoque notitiis vel observationibus haud parvi momenti clarus scriptor disserit.

Atque ex hac solida elucubratione praecleari viri S. Mariné deduci facile posse videtur artem metricam novam, non in quantitate sed in accentu innixam, originem in provincia litteraria superioribus temporibus, quam adhuc vulgo credebatur, re vera sumpsisse.

En tibi velut uno conspectu rationem libri: I. — Studium grammaticale, cum his capitibus: phonetica, morphologia, lexicon, syntaxis (pp. 3-124). II. — Ars metrica, cum capitibus: prosodia, metra binaria, metra ternaria, alia metra et processus versuum condendorum (pp. 127-184). III. — Studium litterarium (pp. 187-209). In quo scriptor studet argumento seu contextui atque declarationis modo.

Operi adjungitur appendix inscriptionum nuper inventarum, quae nondum collectionibus epigraphicis includuntur pp. 213-224; et index inscriptionum quibus Auctor quasdam proponit immutationes pp. 224-226.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

J. COLIN. — *Il soldato della Matrona d'Efeso e l'aceto dei Crocifissi: Petronio, 111*. *Revista di filologia classica*. (N. S.). - XXXI, 1953

Postquam hunc locum desperatum (*Petr.* 111, 10) exposuit et lectionem «donec ancilla vini + certe ab eo + odore corrupta..» mutandam esse in «donec ancilla vini acceptabuleo [=acetabulo] odore corrupta...» probavit, scriptor quomodo haec permixtio quae cum aceto et spongia adhibetur tum in suppliciis crucis cum in circorum et in pugnis gladiatorum, scienter exponit. Hoc quidem ut intellegamus Passionem D. N. J. Christi et Martyrum plurimum interest

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

BLEND - A - MED

Avenario, veteri PALAESTRAE LATINAE lectori, nuper, ut in vita saepe, sedenti apud dentificem, oblatus est tubulus experiendae novae pastae dentariae et satis magni pretii. Tubulo, ut fit, commendaticium foliolum additum erat. Quod cum ille legisset et recordatus in proximo fasciculo *Latinitatis* praeconium se vidisse dentarii peniculi, quod ad cultum hodiernum dentium pertineret etiam idonea pasta, sociis PALAESTRAE, linguae Germanicae fortasse ignaris, Latine, quod diximus folium, redditum proponit. Est autem hunc in modum:

BLEND-A-MED (*blendamedum*) est dentaria pasta *trium* effectuum, nam et cavet inflammationes membranarum mucosarum atque sanguinationes gingivarum et interficit spermata oris morbifera et antevertit putredines.

Certissimas habet corpus humanum cum inanitate oris vicissitudines. Nam qui cibi quondam respondentis naturae hodie multa apparantur arte et industria, illa afferunt ori damna, quibus corpus hominis universum afficitur, ut minime sit mirum nunc temporis medicina prophylactica spectari in primis valetudinem oris.

Atquin investigationibus peritorum his ipsis annis illa constituta sunt elementa, quibus medici ad idoneam curam oris niterentur. Nam complurium annorum experimentis celebriorum institutorum universitariorum et valetudinariorum obtentum est *blendamedum*, medicamentum colendis dentibus et ori hodiernae medicinae maxime consentaneum.

BLENDAMEDO enim durantur membrana mucosa oris et gingiva, emolita nimis gingiva adstringitur et solidatur, sanguinationes et in mandendo molestiae sedantur, omnibus membranarum oris et gingivae inflammationibus, gingivitidi, stomatitidi, paradentitidi occurritur. BLENDAMEDO interimuntur efficientia pus et aliorum semini morborum, et hoc nullo cum damno membranarum oris. Purgatura autem BLENDAMEDI et vi occisoria normantur bacteria circumdentalia et cavetur a putredine etiam quo non commode penetrat penicillus.

Hi BLENDAMEDI effectus tribuendi sunt composito ex quibusdam combinationibus lithii bacteriophonis cum amin-acidis faventibus textis et pretiosissimis quarundam herbarum energis.

Si tamen totum vis habere BLENDAMEDI emolumentum, haec praeterea oportet te animadvertere: *primum*, ut oris tui cavum sanandum cures per odontiatrum vel dentificem, qui odontolithon, illas inveteratas sordium incrustationes deradat, cavosa dentium expleat, protheses male adaptatas et collocationis abnormalitates corrigat; *deinde* ut multum vescaris alimentis vitaminosioribus, iis praesertim in quibus inest vitaminum C vel vitaminum A, pomis igitur, leguminibus, lacte, butyro; *tum* ut BLENDAMEDO post cibum utens peniculum adhibeas non nimis aspero; *postremo* ut diligenter os eluas spuma *blendamedica*, sic ut potentiae illae saltem binarum minutarum spatio vim exercent suam. Primariorum valetudinariorum praesides atque expertissimi dentifices suis attestationibus agnoverunt BLENDAMEDI energema: «jam esse probatissimam et medicinalem pastam curandis dentibus oribusque».

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii

BARCINONE edendi

cura magistrorum Congregationis Claretianae

(Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. Virginis)

Singuli fasciculi sexagenarum
quaternarum sunt paginarum

COMMENTARII hac ratione dividuntur:

I. — LITTERARUM STUDIA

- a) *Humaniora*: lucubrationes de optimis scriptoribus, de institutionibus Latinis et Graecis, de virtute humana aureae aetatis scriptorum, cet.
- b) *Aesthetica*: tentamina litterarum de auctoribus, de rationibus litterarum quibus tum antiqui, tum recentiores utuntur; relatio seu comparatio inter veteres et recentiores scriptores. De forma interna «stilistica» scriptorum.
- b) *Grammatica*. De re grammatica disputationes; de vocum et formarum mutationibus; de rebus philologis et semanticis. De comparatione grammaticarum.

II. — NOVA LATINITAS

- a) *Nova et Vetera*: ubi viri docti de novis vocibus latine reddendis ad res nostrae aetatis significandas agent
- b) *Epistularum inter socios commercium*: ubi epistolae ad Moderatorem et epistolae inter se sociorum prodibunt.

III. — POETICA

IV. — ANNOTATIONES

- a) *Cursus Gymnasticus*: interpretatio in Latinum ex scriptore Hispanico, vel annotationes in scriptorem Latinum; qui selecti scriptorum loci in usum scholarum linguae Latinae inservire possunt.
- b) *Per Orbem*: pagellae quae de bonis litteris brevem notitiam praebebunt.
- c) *Responsa*: epistulis sociorum et quaestionibus de re grammatica.
- d) *Collectanea*: ubi res praecipuae quae in libris et in ephemeridibus evulgantur lectoribus exponentur.

V. — PALAESTRA ADULESCENTIUM

ubi praecepta adolescentiae informandae traduntur. Scripta et epistolae puerorum evulgantur, sales, joca, facetiae, aenigmata; fabulae, narratiunculae, historiae vel fabellae scitissimis picturis descriptae.

VI. — BIBLIOGRAPHIA

De libris nuntius et iudicium.

PALAESTRA ADULESCENTIUM SEPARATIM PRO ALUMNIS EDATUR

COMMENTARIORUM PRETIUM

}	in Hispania	38	pesetorum
	in America	43	,
	in reliquis civ.	55	,

PRETIUM «PALAESTRAE ADULESCENTIUM»: 15 pesetorum
extra Hispaniam et Americam: 20 ,

Ex officina typographica: F. Camps Calmet - Tarregae (in Hispania)